AMEDEUS PACIFICUS, SEU DE EUGENIJ 4. ET AMEDEI SABAUDIAE DUCIS IN SUA...

Pierre Monod, Farnese, Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

7
15-F
32

7
2 K
40

H C.v. n.º 16

7.15.F.32

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

AMEDEVS PACIFICVS,

SEV

DE EVGENII IV. ET AMEDEI SABAVDIAE DVCIS

IN SVA OBEDIENTIA FELICIS PAPÆ V.
nuncupati controuerſijs

COMMENTARIVS

Iuſſu Sereniſſimi Ducis ab eius Hiſtoriographo digeſtus.

TAVRINI, Apud HH. Io. Dominici Tarini, 1624.

De Superiorum licentia.

Digitized by Google

ELOGIA AMEDEI.

NICOLAVS PP. V. In Epiſt. ad Ludou. Sab. Ducem.

TALEM ſe ad Vnionem, & Pacificationem Eccleſiæ in oculis noſtris, & omnium fidelium exhibuit AMEDEVS: *vt quidquid nobis factu poſſibile viderimus, ſuæ recordationi, ac honori, & vtilitati dilecti filij Nobilis viri* LVDOVICI *Ducis Sabaudiæ eius nati, ac ipſorum Illuſtri Domui libenter tribuamus.*

Idem in Bulla an. 1448. 15. Kal. Febr.

VT AMEDEI *honor, fama, & reputatio illæſi, & integri remaneant, Literas, Proceſſus, Mandata, & Decreta quæcumq; &c. contra præfatum* AMEDEVM, *Felicem V. in ſua Obedientia nominatum, decernimus, & declaramus nullum effectum penitus ſortiri: Sed perinde haberi debere, ac ſi nullatenus emanaſſent: Eaq; omnia, & ſingula cum inde ſequutis in Regiſtris ipſius Eugenij prædeceſſoris, & noſtris, & alijs locis, quibuſcunq; aboleri, & deleri mandantes, omnino tollimus, & caſſamus, irritamus, & annullamus.*

PIVS PP. II. apud Gobelin. lib. 7. Comm.

AMEDEVS *procul ab armis in montibus regnans, nunc horum, nunc illorum Arbiter eligebatur, atq; vnus omnium exiſtimabatur, qui ſibi, & alijs recte conſulere noſcet: diu ad eum quaſi ad alterum* SALOMONEM *hinc Itali, hinc Galli pro Conſilio de rebus arduis recurrerunt.*

ONV-

Digitized by Google

ONVFRIVS Lib. 3. de Pontif. creat.

AMEDEVS *in ſolitudine Ripariæ Gebennenſis Diœceſis vitam* ANGELICAM *agens, in Pōtificem Romanum electus eſt.*

FRANCISCVS GONZAGA Epiſcopus Mantuanus, Tertia parte Hiſtor. Ord. S. Franc. in Prou. S. Bonau. Conu. 45.

AMEDEVS *defuncta vxore, relicta Ducali cura Ludouico filio, ſtudio rerum diuinarum, ac cœleſtium contemplatione allectus, cum paucis ſuorum in agrū Gebennenſem ſeceſſit, & prope Lacum Lemanum cœnobium conſtruxit, ibiq; diu, noctuq; fideliſſimè Altiſſimo Domino famulabatur. Cuius odor* SANCITATIS *in omnem terram vbi fides CHRISTI colebatur, effuſus cum eſſet, in Concilio Baſileenſi ad Summum Pontificatum ex illo cœnobio aſſūptus fuit, Felixq; nuncupatus, cui ſupremæ dignitati concordiæ gratia ſeſe poſtea VOLVNTARIE abdicauit.*

PHILIPPVS BERGOMENSIS in Chron.

C*Vm* PACIS, & HVMILITATIS *amator exiſteret* AMEDEVS, *mortuo Eugenio Pontifice, nullis pulſatus precibus, Nicolao Pontifici eius ſucceſſori humiliter ceſſit, & in loco priſtinæ Humilitatis rurſus rediјt, &c. Deficiens demum in ſenectute bona poſt obitum etiam* MIRACVLIS MVLTIS *clarus effulſit.*

F E-

FELIX

A Maledicorum conuitijs vindicatus.

Dum ſe ſponte premens Felix iubar abdidit antris,
  Aſtra ſuum lucis reppetiere ducem.
Sparſit nigra ſuos nubes vbi liuida nimbos,
  Inceſtare nouum queis fuit auſa diem,
Ardet ſtella recens regalibus excita flammis,
  Nimborum innocuo, quæ fuget ore globos.
Bellè vtrimque: tamen multò hæc felicior illis,
  Plurima, quod poſſunt ſydera, ſola poteſt.

G. V.

NOS infraſcripti Theologi Commentarium hunc ab Hiſtoriographo Sereniſſimi Ducis elaboratum, ex præſcripto Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi Archiepiſcopi, ac Sacræ Inquiſitionis legimus, ac diligenter examinauimus: In quo non modò nihil contra fidem, aut bonos mores inuenimus, ſed ſingularem auctoris induſtriam probauimus, qui in aſſerenda optimi Principis AMEDEI innocentia S. Eccleſiæ Romanæ, Summorumq; Pontificum: atque adeo Ipſius Eugenij Quarti, (quem vt verum, legitimumq; Pontificem reueretur) auctoritatem agnoſcit. Erit igitur ex vtilitate publica, & maximo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ commodo, vt opus hoc publici iuris fiat, Auguſtæ Taurinorum Idib. Mart. 1624.

Fr. Ioannes Baptiſta Ferrerius Ord. Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Doctor, Prior Sancti Dominici Taurinen.
Fr. Ioannes à Moncalerio Capucinus.
Ioſephus Alemannus Rector Collegij Taurinenſis Societatis IESV.

Imprimatur

Philibertus Millietus Archiepiſcopus Taurinen.
Fr. Camillus Ballianus Inquiſitor Taurinen.
Argenterius.

Digitized by Google

SERENISSIMO
DVCI
CAROLO EMANVELI.

ORACVLI vox eſt, SERENISSIME DVX, *Filiorum filios, Parentum Coronam eſſe.* Neque temere Principũ ſapientiſsimus pronunciat, non liberos modo ipſos, ſed quandam quaſi liberorum catenam maioribus ſuis glorię Coronam aptare: Non enim ijſdem ſpatijs fama, vireſq; hominum decurrunt: iſtæ, ætate marceſcunt; illa, efflореſcit illuſtriùs; Quo fit, vt Auis, Atauiſq; tanto iucundior à Nepotibus accedat gloria, quãto diuturniore lucta à contumaci temporis obliuione ſtudioſiùs vindicatur. Facis

igitur, SERENISSIME CAROLE, quod te, & pijſsimum Nepotem decet, vt non modo Heroicis virtutibus tuis maiorum famam augeas, ſed illam fatali inuidiæ, vel incuriæ nebula circumfuſam ſplendori ſuo reddas. Cæteris Principum in eo fere Conſilia ſtant, ſi Deceſſorum ſuorũ, aut exiſtimatione, quamuis fugiente ſecuri, aut congeſtarum opum opinione formidabiles videantur: quibus vero generoſior indoles maius aliquid ſuaſit, ardua maiorũ veſtigia preſsiſſe, in ſummis famæ conatibus habuerũt. Tua vero, DVX INVICTISSIME, adoleſcens virtus ijs glorię nobilitata eſt rudimentis, ad quæ vix ambitioſa ſenũ vota feſtinãt, effecitque vt non tam maioribus tuis vitã, quàm illi immortalitatẽ tibi deberent: Quæ enim de eorũ magnanimitate, liberalitate, victorijs, ac in Religione propaganda triumphis ꝓpe incredibilia fama celebrat, facile Poſteritas credet, qa maioribus auſis, illorum miraculis fidem addidiſti, inſolentiã detraxiſti. Credet iam non inuita Poſteritas Imperatorias legio-

nes

nes triumphata Bohemia, Auſtria, & Germania ſuperbas in Sabaudiæ finibus ad Paterniacum à Philippo Comite vinci ſe poſſe didiciſſe, Quia Potentiſsimos, florentiſſimoſq;, ſi quos vnquam miſit Iberia, magni Regis exercitus in ipſo Subalpinæ Prouinciȩ aditu, vno magnanimi pectoris tui propugnaculo, verius quàm Alpium tuarum munimentis repreſſos, pene vidit diriguiſſe: Credet Amedeum Quintũ cõiuratis in ſe vicinorũ Principum odijs vnum omnium inuidiæ ſuffeciſſe, interq; medias acies exultantẽ magni nomen ſibi peperiſſe, Quia te vel Hæreticorũ audacia, vel Aemulorum artibus, vel temporum iniquitate in eo vidit æſtuario poſitum, vt cũ eos patereris infeſtos, quos non ſola viciniæ, ſed neceſſitudinis iura beneuolos facere debuerant, inter tamen tot aſſultantes fluctus, ſcopuli inſtar infractus, excelſuſq; conſiſteres, ac magni nomen etiam viuus ſine inuidia poſſideres, quòd pleriſque mortuis vix præfica conceſsit adulatio. Credet in Amedei viridis ſemper nouis lauro- Anno 1282.

rũ virẽtibus caſtris, quaſi in Achillis Chriſtiani ſchola celeberrimos Principes adoleſcere contendiſſe, qui Potentiſsimi, bellicoſiſsimiq; Regis votum nuper in oculis tuis Auenione conceptum, vel auribus vſurparit, vel fama referente didicerit; quod tanto illuſtriore præconio poſteritas celebrabit, quanto maior illi ex modeſtia tua, quæ id ſilere me iubet, cõmendatio exiſtet. Credet Humbertorũ, & Amedeorum pietate (à qua Prçconũ fidei nomen Pontificis calculo meruerunt) factũ eſſe, vt plurimi in Oriẽte ſchiſmate, erroribuſq; ſuis eiuratis in catholicæ fidei caſtra felici inſtabilitate trãſirent, quia te ſubactis hoſtibus (quorum in Deum, & homines fidem perduellis Geneua corruperat) geminata victoria adeo feliciter ſpectauit triumphantẽ, vt plenis agminibus, quibus mortalem vitã clementia tua indulſerat, iiſdem Pietas tua æternã aperiret. His MAGNE CAROLE virtutibus coronã texere mihi videris nimio lumine, & pretio ignotam, quã Auorum tuorũ læto capiti circumponas,

nas,

nas, quibus nihil contigit honorifi-
centius, quàm tanto Nepote gloriari, cuius laudes, & feliciter illis accreſcāt, & propriarum ſint argumenta virtutum.

Quanquam neque ſatis habes (quæ tua eſt, SERENISSIME DVX, in maiores tuos pietas) ſi illos ex tuis virtutibus æſtimari facis, niſi etiam ipſorum Innocētiæ ſtudioſiſſimus patronus accedas: & hanc igitur Coronā Pijſſimo Nepoti Atauus optimus debebit AMEDEVS, quòd famā ſuam temere, ne dicam impiè, proſciſſam, tuis auſpicijs integritati ſuæ ſentiat reſtitutā. Qua in re ita claritati generis tui conſultū eſſe voluiſti, vt ſingularis obſeruātię, qua VERTICEM ECCLESIARVM ROMAM, eiuſq; Paſtorem ſummum veneraris, quaſi gentilitium ederes argumentū. Nam cū maiores tui gregis Dominici Paſtores primogenitos Romanos Antiſtites, operosè adeo sēper coluerint, vt iſti de eorum ingenito prope obſequio nō vulgari gratulatione ſibi aplaudant, vel vnum ex illis exiſtimari temere aliquid in Pontifices auſum,

contu-

contumelia tibi, tuis, ipſiſq; adeo Pō-
tificibus viſa eſt non diutius ferenda:
Eo maximè ſacrorū arbitro, qui fe-
licem generi tuo VRBANI Quinti me-
moriam videtur inſtauraturus. Huius
enim Auſpicijs Amedeus viridis (quē
FORTEM ATHLETAM FIDEI vocare cō-
ſuerat) victricia in Orientem Crucis
ſigna circumtulit: Ac conſanguineū
ſuum Ioannem Paleologum, Purpu-
ræ primum, dein Eccleſiæ Romanæ
græco ſchiſmate damnato reddidit:
Sicut igitur Diuino Conſilio factum
eſt, vt VRBANVM haberemus Chri-
ſtiani Orbis ſpes, quamuis auidas, ſu-
peraturum, ita VRBANO AMEDEVM
in te, DVX INVICTISSIME, haud de
futurum, vel eo argumento ſignifi-
care voluiſti, quod qui ne Regios
quidem generis tui Cineres Sedi Apo-
ſtolicę pateris non eſſe deuotiſſimos,
te, tuoſque ſuperſtites, Regiam ſci-
licet prolem, ſibi intelligat addictiſ-
ſimos. Eo fine lætior prodit in lucē
AMEDEVS, Amedeus inquam PACIFI-
CVS, tuis Bellatorum maxime CARO-
LE defenſus auſpicijs; Amedeus æta-
tis

tis ſuæ conſtanti omnium voce SALOMON, tuo Aeui noſtri DAVID fortiſsime ductu ſecurus: Qui tuis inſe meritis id præter cætera (DEO cui inter Cœlites famulatur exorato) rependet, vt ſicut ipſe Imperij diuturnitate omnes familiæ ſuæ Principes, ita tu ipſum longiſsimè ſuperes.

Serenitati Veſtræ

Fideliſsimus Hiſtoriographus.

Digitized by Google

ÆQVO LECTORI.

AEQVITATEM tuam, mi Lector, primum conuentam volo, fauentiæ tuæ ſecurus, ſi Aequum amas. Amabis vero, ſat ſcio, operis huius Aequitatem, illius ſi occaſionem didiceris, ſcopum attenderis, modum, rationemq; ſcribendi expenderis, quæ tria paucis tibi ſuggero.

OCCASIONEM igitur huic Commentario præbuit Religioſiſſimum illud obſeruantiæ ſtudium, quo Sereniſſimi Sabaudiæ Duces Sedem Apoſtolicam, illiusq; moderatores ſupremos ſemper coluerunt. Cuius ſtudij adeo illuſtria dedere documenta, vt vni fere Principum Chriſtianorum ſint, quos nunquam nominatim Roma vltrici cenſurarum ſuarum ſideratione perſtrinxerit. Imo vero adeo experta eſt Beneuolos, & obſequentes, vt primum illis ſecundum Reges locum, & vicariam ad Stratoris munus operam hoc reſcripto Benedictus eius nominis duodecimus aſſignarit. Ipſum D.

Bulla Benedicti 12. ad

Papam

Papam cum de Coronatione exibit, per frænum ducet Comes Sabaudiæ, niſi Reges ibidem fuerint eum ducẽtes; vnico tamen Rege ad hoc pręſente, & ducente idem D. Comes ab altero latere Papam ducere debebit.

Conuentione, An. 1359. 6. April.

Et meritò, cum tam incenſa in Paſtorem ſummum charitate flagrarint, vt celeberrimum inter eos Thomam, quem nulla præliorum diſcrimina terruerant, vnus de vexato Friderici Imperatoris artibus Pontifice, mœror proſtrauerit. Quanquam moriens ea conſolatione frueretur, quod ſuperſtites liberos haberet, quibus nihil antiquius eſſe vellet quàm Sedis Romanæ perpetua defenſio; quo factum eſt, vt Innocentius IV. alterum ex illis Patri cognominem Eccleſiæ Proto vexillarium (Confaloneriũ vocant) crearet, alterum Guglielmum nomine, Patrimonio Eccleſiæ, Vrbiq; Romanæ præficeret; qua in adminiſtratione tãta integritate, & magnanimitate verſatus eſt, vt nonniſi eo ſublato Pontificem euertere ſe poſſe infenſiſsimi eius hoſtes ſperarent, vnde illum medicata potione clam oblata per ſummum flagitium interemerunt. Poſteri verò ita ſe geſſerunt, vt qui inter eos

Parad. lib. 2. cap. 65.

Paradi. cap. 62. li. 2. Hiſt. Sab. edit. anno 1602.

Ducis nomen primus aſſequutus eſt (Amedeus nempè noſter) hæc ex adyto Romano iam olim audire meruerit: Quemadmodũ maiores tui Eccleſiæ Dei, & Apoſtolicæ Sedis quieti, paci, & vnitati conſilijs, & auxilijs, etiã perſonis proprijs aſtiterunt, ac fidem catholicam longis finibus, & limitibus ampliari adiuuerunt, exterminãtes etiã gladio ſæuiſsimos hoſtes, qui illius gloriã obtenebrare conati ſunt: Ita, & te ad has neceſsitates felicibus auſpicijs ſeruatũ eſſe oſtendas, vt in tẽpore opportuno tua PROTECTIONE, tua cura, tua opera defenſentur.

Eug. 4. epiſt. ad Amed. an. 1437. 15. kal. Mart.

Neque ſanè de nihilo maiores Amedei tam illuſtri præconio commendabat Eugenius. Etenim, vt reliquos taceã, recens erat memoria inuictiſsimi illius Põtificum Achillis, Amedei cognomento viridis, quem Italicæ ſimul, Eccleſiaſticæq; libertatis aduerſus Barnabonis, & Coniuratorum inſultus, vindicem, & aſſertorem acerrimum Vrbanus V. & Gregorius XI. profitebantur, atq; adeo ipſe Carolus IV. Imperator agnoſcebat, qui eum in finem Vicariam ipſi in vniuerſa Italia poteſtatem contulerat: Vt ad

Ex Bulla Car. 4.

honorem,

honorem, cõmodum, & defenſionẽ Sãctæ Matris Eccleſiæ *(verba ſunt Imperatoris Amedeum alloquentis)* in tantis opportunitatibus tuæ virtutis induſtria ſuffrageris; præſertim cum Dominus noſter S. Pontifex adeo grandẽ erga te gerat benignitatis affectũ, vt ꝓ tua perſona ad infra ſcriptos effectus nobis ſingulariter direxerit ſua vota, &c. *Verum ne Italiæ finibus eximiam Pietatem ſuam circunſcriberet Amedeus, Romanæ Sedis amplificandæ gratia, nullis externis auxilijs, ſuorum dumtaxat virtute fretus Orientem penetrare non dubitauit; tam felici ſucceſſu, vt Ioannem Palæologũ ex Anna Sabaudica Patris ſui Sorore progenitum, è Bulgarorum ſeruitute ereptum Solio ſuo reddiderit, neque aliud tam præclari facinoris ab Imperatore præmium, quamuis ſtudioſè interpellatus optaret, quã vt hic ſchiſmate eiurato Romano Antiſtiti dicto audiens fieret: Quòd cum Imperator facturum ſe recepiſſet, ac deinceps nonnullorum artibus de ſentẽtia dimotus tergiuerſaretur, Amedeus è veſtigio Conſtãtinopoli digreſſus, Peram colligendis copijs delegit, & iam incredibili magnanimitate infide-*

 litatem

litatem vlciſci parabat, cum Ioannes miſſo Patriarcha, oppigneratiſq; apud cognatum Diademate, & Sceptro Imperiali, iuſtã eius indignationem placauit, ac demum, vt fidem ſuam liberaret Romã non multo poſt venit, vbi praeunte in verba Vrbano V. Catholica Religionis leges profeſſus, æternũ Sabaudici nominis monimentum ſtatuit. Non potuit Vrbanus effuſa lætitia geſtiens non agere, atq; habere vberrimas Amedeo gratias; his igitur verbis animi ſui ſenſa expreſſit. Ad tuæ conſolationis augmentũ tibi læti præsẽtibus referamus, quòd Cariſsimus in Chriſto filius noſter Ioannes Palæologus Imperator Græcorũ illuſtris Cõſanguineus tuus, ſecundum quod olim per ipſum. & te fuerat Peræ ordinatum, ad Sedem noſtram reuerenter acceſsit, præmiſsiſq; per eum abiuratione ſchiſmatis, & profeſsione Catholicæ Fidei, ac opportuno præſtito iuramento de parẽdo mãdatis Eccleſiæ, atq; noſtris, die viceſima prima menſis Octobris ꝓximè præteriti in Baſilica Principis Apoſtolorum eum ſolemniter, ac Paterna recepimus Caritate, de quo Ec-

Ex Epiſt. Vrbani V. ad Amed. Sab. Com. ann. 1369.

leſia

leſia Sancta Dei lætatur in Domino, ſperans ipſius Imperatoris miniſterio ſubditos ſibi Populos ad gremiũ eiuſdem Eccleſiæ reuerſuros, &c. Datũ Romæ non. Nouemb. Pontif. noſtri Ann. 7.

Hac cum vtriuſq; Palladis delicium Sereniſſimus CAROLVS EMANVEL *reuolueret, gauderetq́ in ſuis Deceſſoribus agnoſcere illius Pietatis imaginem, quam erga Sedem Apoſtolicam ſemper aluit: facere non potuit quin ſcriptorum quorundam intemperantiam coerceret, (Quos enim familiares non habet alter hic Auguſtus, qui uerè, vt de ſuo canebat Auſonius.*

quantum ceſſat de tempore belli
Indulget Clarijs tantum inter caſtra Camœnis;
Vix poſuit celeres ſtridentia tela ſagittas,
Muſarum ad calamos fertur manus: otia neſcit)

Qui ſcriptores, vel maledicendi laſciuia, vel veri indiligentia Amedeum VIII. Sapientiſſimum, Religioſiſſimumq́ Principẽ in Baſileenſium Patrum conuentu ad Pontificiam dignitatem vocatum, fœdis calumnijs lacerarunt, alijsq́, vt eadem deinceps auderent praiuerunt. Is igitur pro ſumma illa obſeruantia, qua Romanos Antiſtites

ſemper

ſemper veneratus eſt, hunc ex integerrimâ familia næuum emaculare ſtuduit, tum cõmunicatis cum eruditiſsimo Annalium Eccleſiaſticorũ auctore tabulis: tũ hac edita defenſione, in qua illuſtribus euinceret documentis Amedeum illum non modò Sedi Apoſtolicæ iniquum non fuiſſe, ſed ipſum Eugenium tantis cumulaſſe beneficijs, vt fateretur iſte Amedeum* reliquos omnes Chriſtianos Principes in hoc officij genere facile ſuperaſſe: *eaq; Nicolaus Eugenij ſucceſſor in ſe, totamq; Eccleſiam eiuſdem Amedei merita agnoſceret*, vt ea omni amplitudine fauorum pſequi, & quicquid ſibi factu poſsibile videretur recordationi eius, & honori tribuendum decerneret. *Ac præterea ſeuere iuberet,* vt ea omnia inducerentur, quæ vel temporum iniquitas, vel maleuolorum proteruia in tantum Principem excogitaſſet.

Illis nempè quas in Tomũ 16. inſeruit.

In epiſt. ad eundem an. 1433. non. Mart.

In Breui ad Ludo. Ducẽ.

Habet igitur Sereniſsimus Dux Conſilij ſui auctores ipſos ſummos Eccleſiæ Antiſtites: ſtimulos admouent innocentiæ patrocinium, familiæ decus, eximia in Sedem Apoſtolicam pietas, & obſeruantia, quam nec in maioribus, nedum in ſe, vel minimo aſpergi

næuo

nano patitur.

Hinc ſcopus, in quem ſcriptio iſta collineat, facilè ſeſe aperit: propoſitum enim mihi eſt Eugenium ſemper verum, legitimúmque Pontificem agnoſcere, & venerari. Ac tametſi in pleriſq; fortaſſe hominem ſe eſſe verbis, factisq; oſtenderit, vero propius exiſtimare, quod de eo in ſua retractatione Pius Secundus prodidit: Illum ſcilicet falsò de multis accuſatum, & Cardinales, qui Baſileam venerãt ob priuatas inimicitias bono, & ſancto viro notam inurere voluiſſe. *Quæ igitur Hiſtoricè in hoc commentario ex antiquorum monumentis deprompta legentur, quæ alicuius noxæ reum illum facient, eo dumtaxat fine hic recenſentur, ut Amedeum à temeritate abſoluant, qui tot grauiſsimis, doctiſsimisq; viris acceſſerit, apud quos Eugenius haud vulgari inuidia flagrabat. Faciunt ad eundem finem, quæ ex actis Synodalibus Baſileenſibus de Concilij auctoritate in medio ponuntur. Scio enim, & profiteor cum eodem Pio Secundo,* eum qui Romanæ ſecundum Canonicas ſanctiones præficitur Eccleſiæ, quã primum electus eſt in ſacro Collegio, ſupre-

Pius 2. In Bulla Retract.

premam à Deo poteſtatem ſine medio conſequi, & per ordinem in omnem diffundere Eccleſiam, eiuſque peccata Diuino Iudicio relinqui. *Scio Leonis X. Conſtitutionẽ de ijs, quæ poſt Baſileenſis Concilij ad Ferrarienſes translationem ſequuta ſunt, integrã, illibatamq́; eſſe conſeruandam: Neq; illa hũc in Cõmentariũ refero, vel aſſerendi, vel diſputãdi cauſa, quæ ſummis Pontificibus deinceps haud ita probata eſſe ſatis intelligo. Quorſum igitur? vetus parœmia eſt, poſteriorem diem prioris magiſtram eſſe. Multa nimirum nunc expedita ſunt, & obuia, quæ retroſioribus erant admodum perplexa temporibus, & incerta. Vt igitur non ſatis ſanus haberetur, qui nunc in ea contumaciter niteretur, quòd plurimos olim renitentes haluerint; Ita prudenter parum faceret, qui veteribus inſultaret, quod ea non viderint, quæ doctior nobis ætas aperuit. In his multa pono, quæ de Pontificis in Concilia auctoritate Eugenij temporibus diſputabantur: Quæ ſi ex ea, quæ id ætatis apud doctiſsimos viros, & celeberrimas Academias inualuerat ſentẽtia, æſtimabat Amedeus, quis ei meritò poſsit ſuccenſere? imo*

Extat in Cõcil. Lateran. Seſſ.xi.

vero

vero quis nobis, ſi ea dumtaxat referimus, quæ paſſim ea ætate vſurpata?

Κἀν βροτοῖς

Αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι.

Vt igitur certa nobis eſſe debent, quæ Amedeum ſequuta ætas illis de rebus, vel ſtatuit, vel expoſuit, ita minimè dubium eſſe poteſt innoxio errore à pleriſque tunc, & pronuntiata, & credita: lapſum itaque Amedeũ ingenuè fatemur, ſed innocenti lapſu; Baſileenſes autem, qui ei in lubrica via præiuerunt, vt à culpa minimè vindicamus, ita plurimos illorum in Ferreriorum, Lucemburgiorum, & aliorum virorum pietate præſtantium albo ponimus, qui ſchiſmatis tempore ei ſe Parti addixerunt, quam tutiorẽ conſcientia minimè temeraria ſuggerebat. Quos, vel eo maiori laude dignos nemo ibit inficias, quòd in eorum numero eſſe noluerunt, qui ne vel ad horam videantur erraſſe, ſemper errant, infami pertinacia conſtantiæ famam aucupantes: ſuperbiſſimi mortalium, qui videri Dij non homines volunt; quem enim, qui ſe hominem cogitarit erraſſe puduerit? Quos igitur hortatores ad tãtam dignitatem capeſſendam inuitus audierat, illos in ea ſponte deſerenda non relu-

ſtantes adeo lætis oculis ſpectauit Amedeus, vt tũ primũ verè felix ſibi ſuiſſe videretur, quum Felix nuncupari reſpuit. Et ſanè ſi nulla niſi de innocentia felicitas, felix, atq; iterum felix Amedeus, quem neque error nocentem fecit, & reſipiſcentia innocentiſſimum demonſtrauit: Hic operis ſcopus.

Scribendi modus à me ſuſceptus, qui doceat magis quàm delectet, qui in alienis eruendis, & proponendis, quàm in ſuis dilatandis exultet; qui deniq; vt alienæ fidei totum tribuat, nihil ſuæ arroget. Quod ſi plura deſcripſi, quæ iam alij publici iuris fecerũt, commodis tuis ſeruire me credidi, vt ad manum ſimul haberes, quæ hoc de argumento pluribus locis diſperſa ſunt, & fateor inuidiæ vitandæ gratia, pluſcula verbis alienis quàm meis dicere voluiſſe, quæ ſi in Conciliorum voluminibus, alijsq; probatis libris impunè leguntur, huc à me translata nemo iure vitio vertat: Propria tamen ab alienis diſcerni velim, ne modeſtiæ noſtræ, acerbior interdum aliorum zelus officiat. Quæ vero lucem nondum viderunt, vt ſunt epiſtolæ plures, & Pontificum reſcripta, ea ſcias ex inſtructiſſimo Sereniſſimi Ducis tabulario fideliſſimè deprompta, tum vt fidem huic

Com-

Digitized by Google

Commentario facerent, tum vt quendam quaſi guſtum tibi præberent eorum, quæ (ſi te mi Lector huic præluſioni fauẽtem habuero) integram Sabaudicæ gentis hiſtoriam aliquando daturus, non vulgari vti ſpero publicæ vtilitatis commodo, optima fide comparaui. Nam cum Regia Sabaudiæ domus nullis non Regum, Principumúe Chriſtianorum familijs iam olim inſerta ſit, rara quædam, & eximia ſuis habet in Archiuis, quæ non modo ad ſuam, ſed ad aliorum etiã Principum laudẽ, vtilitatemq́; pertineant. Fruere interim iſtis, & in ijs Amedeum, imo Deum ipſum, quem tantopere amauit Amedeus ama.

AMEDEI

A CONCILIO BASILEENSI
in Pontificem electi ſub allegoria Aſtrorum Solem eligentium

PROSPHONEMATICVM.

FELICI ſilua lucem occultabat opacam
Orbis amor, cœliique amor, & ſpes viuida amoris,
Qua vitreis ridet fugiens Lemanus in vndis,
Squammoſoſq; greges florenti paſcit in auro,
Ripaliæque herbas concordi murmure adorat,
Indomitas ponitque iras. Sol dignior axe,
Lucis & imperio, quo lucem ſponte tegebat,
Seque efformabat cœlo, radioſque premebat,
Vt premeret cœlos; tumido felicior oſtro
Neglecto, meliorque oſtro, & magis agnitus ipſis
Quo latuit tenebris. Illum fortuna triumphos
Faſtidiſſe ſuos, quos illi ingeſſerat vltro
Indoluit, celereſque rotas, & lubrica fata
Neglecto fregiſſe iugo: mirantibus aſtris
Auguſtum ſpoliaſſe iubar, cum purpura ſolum
Ambitioſa ſuis arderet vincere flammis;
Erubuit faſtus Regem ſpreuiſſe Ducales
Ambitio, maiora parans, tantamque latere
Virtutem inuidit; Tacitum irriſere decorem
Coniurata ſuis educere ſidera ſiluis.
Et Solem donare axi, qui lumine auito
Splendorem capiendo daret, proprioq; decore

Augeret

Digitized by Google

Augeret luci pretium, maioraque ferret
Rhedæ, quam illa daret, ſceptris & ſceptra foueret;
Qui Sol ante foret quam Solem noſceret axis,
Solis & imperium, natiuo ferret in oſtro,
Sole ipſo & Stellis maior. Sed qualis inemptus
Eſt Solis ſplendor, qui nolens ſidera cogit
E tenebris proferre diem! non aurea gemmis
Scintillat pretioſa chlamys, nec purpura reddit
Natiuo auguſtum pretio, ſed velat amictus,
Qui radios horrere docet; non ſerta pyropis
Cæſariem ditant fluido quæ inſultet in auro,
Sed rigidis intonſa comis vileſcit, & ipſo
Neglectu terret; Non ſceptro innixus apricas
Dum tangit facit eſſe vias, ſed ſpinea virga
Nutantes firmat greſſus: Non regia opacis
Oſtentat confuſa onicis, ſed pinea ſilua
Vix capit errantem; ſolium eſt in gramine lentis
Intextum ramis, non flauo murice pictum.
Sed lucet ſine luce chlamys, vulgaris amictus
Condendo diffundit opes, peregrinaque fulget
Lux tenebris animata ſuis: argentea ſpargit
Canities auguſta faces, & legibus orbem
Virga rudis premit, & vili faſtidit in auro
Suſtentando axes; animat tot ſilua ſmaragdos
Quot frondes, ornat viuaci & Murice ſtratum:
Regia liberior cœlo ſtellatur aperto,
Florenti ridetque ſolo; Sol aureus, aurum
Et patrias dum linquit opes, mendicaq; luxus
Ornamenta fugit. PROPRIO SPLENDORE BEATVS.
Qui te digne aſtris ò Sol pulcherrime ſiluis
Abſcondit, lucemq; tegit qua ſidera viuunt;
Oſtrum ſpreuiſti immortali dignior oſtro;
Te maiora vocant; aſtra elegere ſerenis
Imperijs natum; currus tibi debitus axis
Sole alio fugiente diem; qui lumine terras
Impleſti nunc imple axem; tibi pompa relicta eſt
Sorte tua minor; illius nunc ſidera debent
Imperijs ſeruire tuis, & in axe triumphos
Illuſtrare tuos; Te ſolem deligit æther.
Sol gemuit potuiſſe legi, ſtellaſque periclis
Exultare ſuis, durata & fronte ſtupentes

Alloquitur

Alloquitur ſenſus; Errarunt ſidera cum me
Indocili officio Solem voluere; reliqui
Auguſtum imperium, nimio ne pondere preſſus
Immorerer regno; ſenſi quæ pœna regendi,
Pungit adhuc ſpinis animum cruciata poteſtas;
Vixi alijs nimium, tandem mihi viuere cordi eſt.
Hoc vnum tardaſſe nocet. Vix nata parentum
Sceptra pati potui. Libertas agnita nullis
Imperijs emitur, ſatis eſt me inflectere corda,
Et cœlo formare animum; inſperata quietis
Attigit extremos portus mea cymba procellas
Naufragijs experta ſuis, non ſuſtinet vltra
Irritare neces, victa & tentare pericla;
Impar ego tantæ moli. Proh digna ſereno
Pugna legi cœlo; radios ne fulgeat abdit
Sol tenebris, ſtellæ quo luceat axe latentem
Abducunt, fugit ille decus, fugientis & aſtra
Nituntur firmare decus. Cum lucidus error
Induit Aſtreæ formam, vultuque ſereno
Subridens lentè Auguſto facta obuia Soli
Attonitum premit; O maior ſplendore futura
Vix ætas tantæ credet miracula laudis;
Viciſti inuidiam inuidia; tibi gloria creſcet
Quo reliquis poſuit metas. Nunc purpura lucem
Erubuit neglecta ſuam; tibi Fama coronas
Appendet ſatiata malo; ſed vera profari
Si licet oranti, turpe eſt ambire quietem
Si cunctis nocitura quies; te publica vota
Aſtrorum, mundo errante, elegere, quadrigam
Aſſueta quo luce regas, animeſque labore;
Aerumnas ſentire Orbis tu legifer Orbis
Sol debes; & qui rexiſti ſæpè labantem,
Nunc patrio augurio debes firmare ruentem;
Iuſtitia adſtringet, legum & ſeuera poteſtas,
Si renuis; culpa eſt, noſtras contemnere leges;
Si recti te tangit Amor, ſi libera cœli
Cura, labor tibi cura foret, mundoque cadenti
Felicem præbere manum. Perculſit acerbis,
Non fregit pectus monitis Aſtræa, paratum
Ante mori placidæ quam dulcia linquere Pacis
Otia. Nec ſtellæ inceptis ceſſere periclis,

Diuerſis

Diuerſis rediere armis; verum irrita ſemper
Durato cecidere ſinu; obſtinata latendi
Firmabat cura ingenium; ſed vincere Solem
Inſidijs natura ſuis, & cedere Soli
Edocuit, candore ipſo monſtrante triumphos;
OFFENDI COELVM NISI PVGNAM CEDERET ASTRIS.
Inuitum hoc fregit pectus ne frangere noſcet
Culpa, malo ceſſit, ne culpis cederet; Axis
Pœna fuit cum pugna fuit; victoria cœli
Iudicio adſcribenda Axi, cui maximus error
Non erraſſe foret. Vix legibus innuit, orbis
Agnouit Solem, Alipedes duxere quadrigam
Felici curſu, Soliquе arriſit olimpus,
Sol quamuis fleret. Monſtris natura peremptis
Lætitiæ portenta dedit; ſaturnia ſæcla
Aeternum admiſere diem. At dum publica floret
Spes radijs animata ſuis, & amabilis omnem
Spem ſuperans Sol luce implet, Sol alter in axem
Erupit, Rhedamque ſuam nullo omine raptam
Indignans, Solem ſe ſtellis eſſe, minaci
Indicit ſceptro. Stupuere duos luceſcere Soles
Sidera, & in Solem Solem torquere ſagittas;
Ille tumens veteri ſceptro, hic felicior ipſo
Neglecto imperio; cauſa ille audentior, aſt hic
Augurio meliore micans, animoq; minorem
Eſſe probans ſortem; exitio tantum agnitus alter,
Hic notus fama, & ſceptris; felicior ille
Hoc Sole aduerſo, qui regnum luce tueri
Magnanimum duxit, telis cum vincere poſſet.
Certauere tamen; clara hunc pars ætheris, illum
Ara focis tutata fuit; nec vincere vtrique
Sorte datum, etſi pugna fuit, quo cedere poſſet
Riuali occumbente ſuis erroribus alter;
Et ſponte imperium nullo aduerſante, ſequenti
Redderet, & lucis ſceptrum cedendo probaret
Inuitum accepiſſe. O ſceptro maior, & Orbe,
Prodigio vincente fidem. Sol lucis habenas
Ceſſit ſponte datas, & Solem reddidit Aſtris
Vnitum, radiosque ſuos ſeruire coegit;
Felici exemplo; varios nam ſidera Soles,
Etſi aſſueta pati, diuiſo & creſcere ſceptro,

Indi-

Indignata alium nitidæ ſupponere Rhedæ
Hoc ſpernente faces: cum nullus clarior axem
Signaſſet radijs, ſignata eſt meta futuræ
Aetati, ne aliquis ſtellas illudere tentet,
Hoc facibus ludente ſuis, vt vinceret Aſtra.
Sed qui Fama tuam potuit ſuperare relicta
Luce, tubam, inuidia didicit ſtimulare venena
Inuidiæ, monſtroque nouo, cedendo ſtupentes
Irritare faces; nocuit viciſſe triumpho
Felicem errorem; nebulas offundere cæpit,
Et turbare diem, inſidum exſpumando venenum,
Et rabiem cruciando ſuam, ſatiataque monſtra.
Nulla tamen te larua teget, maioraque monſtris
Lumina, neglectis viues ſublimior Aſtris.
Quod ſi Solarem impietas obnubere crinem,
Audeat, innatam rabieſque inuoluere lucem,
Tot Soles paritura dabunt tua lumina terris,
Quot lucem ſenſere tuam, Generiſque micantem
Agnoſcunt Patrem; Soles habuiſſe parentes,
Et ſoles peperiſſe alios, qui noſcere cœlo
Occaſum nequeunt, dubiæ & ſuccedere nocti,
Sola tibi natura fuit, quo clarior æuo
Luceſcas, totieſque nouis oriare trophæis,
Quo geniti Soles accepta luce triumphant,
Vt poſthac renouante diem ſplendore, triumphis
Inuidia æternis intexere neſciat vmbras.

P.P. ab Alexandris.

AMEDEVS PACIFICVS,

Seu

DE EVGENII IV. ET AMEDEI in ſua obedientia Felicis Papæ V. nuncupati controuerſijs

COMMENTARIVS.

THEATRVM aperio, in quo pertinacibus ſciſſa diſſidijs Eccleſia laborabit, gemet, eluctabitur, ac demum, vt aſſolet victrix magno totius Reip. Chriſtianæ plauſu triumphabit. Scenam ingredientur Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, & præcipua tum occidentis, tum orientis orbis capita, abreptis in partes ſtudijs, prout cuique aut pietas, aut priuata commoda, aut ambitio, non aliena minus quàm ſua cordi fuere. Eugenius id nominis Pontifex quartus, & Amedeus Sabaudiæ Dux, in ſua obedientia Felix Papa quintus nuncupatus, primarum in hac ſcena partium actores ſpectabuntur: Sed ne quid incertis rumoribus, odio, vel aſſentationi datum videatur, è ſuis fontibus rei memoria erit arceſſenda. I. Propoſitio.

II. Baſileenſe Concilium indicitur. *Conſt. conc. ſeſſ. 39.* *Baſil. conc. ſeſſ. 1.*

Conſtantiæ decretum fuerat vt decimo quoque anno generalia Eccleſiæ comitia coirent : indixerat in eum finē Baſileæ Concilium Martinus v.quo ſublato Eugenius Pontifex ſummus Iulianum S. Angeli Diaconum Cardinalem ſedis Apoſtolicæ legatum, & pręſidem eò deſtinarat.

Inchoatur.

Finis eius. *ſeſſ. 1.*

Initium Concilio factum die Iouis 19. Iulij anni MCCCC. XXXI. præuijs ſolēnibus formulis. Triplex finis ei propoſitus, *hæreſum extirpatio, bellorum inter Principes Chriſtianos extinctio, & morum in Eccleſia reformatio*. Diu deinceps ab incepto opere vacatum, prorogata ſeſſione ſecunda ad 15. Kal. Mar. anni ſequentis. Qui dies Eccleſiæ funeſtus illuxit, in eo enim ſementis iacta eſt eorū omnium diſſidiorum, quę per totos ſexdecim, & eo amplius annos continua propagatione proſerpſerunt. Decreto quippe edito ſtatuerunt PP. *omnes cuiuſcunq; dignitatis ſint etiam Papalis, Concilio obedire teneri, in his quæ pertinent ad fidem, & generalem Reformationem Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris*. Ad hæc, *nullū quauis authoritate, etiam ſi Papali dignitate præfulgeat, Concilium diſſoluere, aut alio tranferre poſſe, ſtatutis pœnis in quoſuis, qui contra moliri, aut decernere aliquid tentarent*.

Cōcilio Papā ſubijcit. *Seſſ. 2.*

Commouetur Eugeni°.

Reuocat legatos ſuos, & Conciliū abrogat. *Tacitus.*

Perculit ea res Eugenium, ſenſitq; inuidiam facti; verum ne Baſileenſes audax initium contumacioribus auſis propellerent, feſtinato Conſilio Æmulorum ſpes anteire parat. Abrogat itaq; pro poteſtate legationem Cardinali Iuliano, & toti Concilio authoritatem: Prudentior forte, certè acceptior futurus, ſi lentiorem iram feciſſet, *nihil enim æquè bona conſilia peſſundedit, quàm ſpretis quæ tarda, cum*

ſecu-

ſecuritate, præmatura, vel cum exitio properare. Faciebat ſanè ab illo ęquitas cauſæ; quid enim turpiùs quàm membra, capiti; liberos, parenti; Patri familias, ſeruos; oues, Paſtori moderari velle? Pontificem verò ſummum vniuerſalis Eccleſiæ Caput, non Concilium modo Chalcedonenſe Leonem alloquens appellat, verum ipſi Baſileenſes, quorum de ipſo Eugenio loquentium hæc ſunt verba, *Nemo erit noſtrum qui pedes eius vt beati Petri non oſculetur, qui vt Vicariũ Chriſti non honoret, erit Concilij* CAPVT. & Cardinalis Iulianus in reſponſione ſua ad legatos Eugenij. *Quidquid in ſacris ſtatuitur Concilijs, ſua etiam* (hoc eſt Pontificis Rom.) *authoritate ſtatuitur, quæ ſemper ibi refulget vt prima, & præcipua, Caput, & directrix. Nos enim vnum Eccleſiæ corpus ſumus, ipſe huius corporis Caput ſub capite Chriſto*. Si caput, vnde membris in illud auctoritas? *Certè niſi illi* (vt cum Hieronymo loquar) *exors quædam, & ab omnibus eminens poteſtas detur, tot in Eccleſia efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes*. Eugenium iſta abſoluebant, niſi cauſæ confidenti à ſeuerioribus remedijs ſe implicuiſſet.

Et Iuſtè, ſi cautè.

Epiſt. ad Leõ.

Concil. Baſil. ſeſſ. 14.

Edition. Colon. p. 114.

Lib. con. Luciferia.

III. Intercedunt Baſileenſes abrogationi

Namque vbi ſe Patres damnatos intellexere priuſquam auditos, exarſere ſcilicet etiam illi qui neq; liuore, neq; ambitione iuerant in ſententiam: nequid tamen turbidè agerent, per oratores ſuos Ludouicum de Palude Lauſanenſem Epiſcopum, & M Henricum Stacter Decanum Traiectenſem Eugenium adierunt, cauſam dicturi, ſi audiret; Interceſſuri eius decreto, ſi obſtinaret. Dum vltro, citroq; commeatur, exaſperantur animi, incenditur

Seſſ. 3.

vlcus, contagio à Prælatis in Principes gliſcit: & in eo res erat, vt vel eo ipſo probaretur cauſa Concilij, quod pluribus placeret. Iam erant illæ voces in omnium ore, Piſanis Patribus bene ceſſiſſe, quod Concilio Pontificem ſubieciſſent, fruſtra fuiſſe alia omnia priuſquam Conſtantienſes hanc viã iuirent. Actum prope de Eccleſia ſuperioribus annis, niſi Pontifices in ordinem cogere licuiſſet. Cur verbis inuidia ſit, ſi de innocenti exemplo trahantur? quid plura? Ineunte anno trigeſimo tertio Baſileam venit abs Religioſiſſimo Imperatore Sigiſmundo deſignatus Vulielmus Bauariæ Dux Cõcilij Protector, adſunt Principum, Regumq; Legati frequentes. Abrogantur in publico cõſeſſu Eugenij Reſcripta, dies ei indicitur, fama eius laceratur, prope abeſt, vt ex albo Pontificum eradatur.

Rumores varij.

Eugenij acta reſcindũtur. *Seſſio. 9. et 10.*

IV. Amedeus Sabaudiæ Dux Legatos Baſileã mittit.

Vrebant iſta Pijſſimi Principis Amedei Sabaudiæ Ducis mẽtẽ de publica Pace sẽper ſollicitam: Neq; par erat, vt qui iunior componendis Eccleſiæ rebus in Cõſtantienſi Concilio vtilem adeo nauarat operam, nunc ſenilem prudentiam conciliandis animis exercitam, in tanto rerum diſcrimine deſiderari pateretur. Epiſcopum igitur Bellicenſem vna cum alijs, & generis claritudine, & multo vſu Illuſtribus viris Baſileam allegat, conſilijs ſuis apprimè inſtructos. Duo potiſſimum in mandatis habebant. Pacem vt omni via Francos inter, & Burgundos componere, & prorumpentes in Eccleſia motus comprimere ſtuderent; adeo incenſus Caritate Amedei animus nihil niſi pacis artes reuoluebat: Sed quoniam Principi magna gerendi auido, præ-

Digitized by Google

cipua rerum in famam laboranda ſunt, oratores ſuos in primis ſollicitos eſſe iuſſit, honorificus vt in eo conſeſſu locus ipſis attribueretur: neq; difficile fuit illis obtinere, quod cupiebant, prius quàm oratores Ducis Burgundię veniſſent, quibus cedere, vt indecorum videbatur, ita præire neutiquam ſperãdum. Tandem in eum modum compoſita controuerſia, vt dexter Burgundioni locus, poſt Patriarcham Alexandrinum; ſiniſter poſt Antiochenum Sabaudo aſſignaretur: addita declaratione, hunc quàm proximum à Burgundione eſſe honoratiorẽ. Reclamauit tamen Amedeus his auditis, & per literas cũ patrib⁹ grauiter expoſtulauit, *in ſedibus Oratorum ſuorum prægrauari ſe non ferens*, vt conſtat ex ea Epiſtola, quæ inter acta Concilij excuſa legitur; Sed placet recitare quã ſuper ea re oratores Amedei Conteſtationem ad patres habuerunt, ne quo præiudicio domini ſui dignitas læderetur.

Controuerſia pro Sede Oratorum.

Compoſita.

V. Proteſtatio Legatorum Sabaudienſium pro loco honoratiore.

In Nomine Domini Amen. Tenore præſentis publici inſtrumenti cunctis pateat euidenter, & ſit notum; Quod anno eiuſdem Domini 1433. indictione XI die vero veneris, ſeptima menſis Auguſti, Pontificatus Sãctiſſimi in Domino Patris, & domini D. Eugenij diuina prouidentia Papæ Quarti, coram Reuerendiſſimis in Chriſto patribus, ac dominis Iuliano Diacono S. Angeli Germaniarum legato, in Sacroſancto generali Baſilienſi Concilio in Spiritu Sancto legitime congregato Præſidente Antonio Oſtienſi, Branda Portuenſi, Ioanne Tit. S. Laurẽtij in Lucerna. Ioanne Tit S. Petri ad vincula Prabyteris, Alfonſo S. Euſtatij, & Dominico S. Mariæ in Via lata Diaconis miſeratione diuina Sacroſãctæ Rom. Eccleſiæ Cardinalibus, necnõ

Ioanne

Ioanne Alexandrino, Ioanne Antiocheno Patriarchis, Amedeo Lugdunenſi, Hugone Rhotomagenſi, pluribuſq; Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, ac venerabilibus doctoribus, & magiſtris dictum Sacrum Concilium facientibus, & celebrantibus in congregatione generali tenta, & celebrata in Eccleſia Maiori Baſilienſi exiſtentibus, & cōgregatis in noſtrū Notariorum publicorum, & teſtium infra ſcriptorum ad hæc vocatorum, & rogatorum præſentia, prælibatus Reuerendiſs. Cardinalis in manibus quandam Papiri cedulam concernentem certā ordinationem circa aſſignationem locorum in ſeſſionibus, congregationibus generalibus, & alijs actibus publicis, & priuatis Sacri cōcilij Dominis oratoribus Illuſtriſſimi Principis D. Amedei Sabaudiæ Ducis ad auiſandum, & de ſuper deliberandū propoſitam, non nullis proteſtationibus interuenientibus, ad legendum eandem, alteri videlicet mihi Petro Bruneti exhibuit, atq; dedit, quamq; alta, & intelligibili voce de mandato eiuſdem D. Cardinalis legati, & Præſidentis legi, huiuſmodi verborum ſub tenore. Sunt Ambaſciatores Illuſtriſſimi Principis D. Ducis Sabaudiæ, videlicet Dominus Epiſcopus Bellicenſis, & alij ſui collegæ contenti acceptare locum quem eis aſſignat hæc Sancta Synodus in ſeſſionibus, congregationibus generalibus, & alijs actibus publicis, & priuatis; Ad ſiniſtram partem, immediatè poſt Patriarcham Anthiochenum, niſi de nouo ſubueniant aliqui Regum, vel Ducum Ambaſciatores, qui iure ſuo præcedere debeant ad euitationem cuiuſcumq; turbationis, & ſcandali: Proteſtatione tamen præhabita, & admiſſa per Sanctam Congregationem generalem, quod poſſint, & valeant probare quoties opportunum fuerit, & eis videbitur: Quod antequam erigeretur Comitatus Sabaudiæ in

Du-

Ducatum, Comites Sabaudiæ, qui fuerunt pro tempore à trecentis annis præteritis, continuò fuerunt Duces Chablaſij, & Auguſtæ, & ſic ſe ſemper intitulauerunt in ſuis Patentibus literis, cum titulo Comitatus Sabaudiæ, prout Dux Sabaudiæ modernus eſt Dux Chablaſij, & Auguſtæ, & ita intitulatur hodie in ſuis patētibus literis cum Ducatu Sabaudiæ, & propterea debere præcedere in honoribus Creatione poſteriores, & cum proteſtatione quod caſu quo eorum Dominus non haberet ratum, & gratum, quod poſſint redire ad priorem locum, & proſequi iuſtitiam ſuam, & cum iſtis proteſtationibus, & cauſis expreſſis Dominus Epiſcopus Bellicenſis continuabit in loco aſſignato vt Epiſcopus Ambaſciator, alijs Ambaſciatoribus eiuſdem Domini noſtri in ſuo loco remanentibus. Qua ſi quidem ordinatione lecta, & per verbum, Placet, acceptata, locoq; prius per Sacrum Concilium poſt Dominum Patriarcham Antiochenum ad partē ſiniſtram iuxta ordinationē huiuſmodi, eidem Epiſcopo Bellicenſi aſſignato, & acceptato, Regratiatoq; per eundem Sacræ congregationi de dicta gratioſa ordinatione, ac proteſtato quod dictus locus honorabilior erat, quàm locus ab alia parte poſt Reuerendum Patrem Dominum Epiſcopum Niuernenſem, Ambaſciatorē Illuſtriſs. Domini Ducis Burgundiæ, ipſe Dominus Epiſcopus Bellicenſis nomine Ambaſciatorio quo ſupra, de huiuſmodi ordinatione, proteſtatione, & cæteris præmiſſis petijt à nobis Notarijs, & ſcribis infraſcriptis ſibi fieri, atq; tradi vnum, vel plura publicum, vel publica inſtrumenta, ad futuram rei memoriam, &c.

Principes Sabaudiæ trecentis annis ante Baſileenſe Cōcilium erant Duces.

His ita confectis, ad reliqua ſe accingunt, quæ ſibi fuerant mandata; ſed illis dum ſedulo inſiſtunt quid interim Amedeus apud Eugenium moliretur audia-

VI. Amedeus Legatos mittit ad Eugenium.

audiamus? Præmiſerat alios ad eum oratores Petrumde Menthone D. Montiſtroterij, Ludouicum de Montheolo, & Philibertum de Rupe, qui eum ad componendas Baſileenſes controuerſias hortarentur, vt ex eiuſdem Eugenij reſcripto conſtat, in quo præter cætera hæc habentur. *Cæterum non amouentes cogitationes noſtras ab ijs rebus, quæ ſtatum Catholicæ fidei concernunt, certis aduiſamentis per venerabilem fratrem noſtrum Archiepiſcopum Ebreduneſem à nobis poſtulatis annuimus, vt ea ab ijs, qui in Baſilea exiſtūt tractari, & ad effectum deduci poſſint. Et quia huiuſmodi aduiſamenta ſtatui Reip. Chriſtianæ atq; vniuerſali Eccleſiæ ſalutaria ſunt, gratum nobis erit ſi tanquam catholicus Princeps operam dabis, quod huiuſmodi auiſamenta iuxta facultatem à nobis conceſſam ad exequtionem, & effectum deducantur. Datum Romæ apud S Petrum An. In. D. 1432. 17. Kal. Auguſt. Pontificatus noſtri an. 2.*

Reſcribit Eugenius.

VII. Iterum Legati Sabaudienſes Eugeniū adeūt.

Cum verò tribus illis Articulis, propter quos Concilium diſſoluerat Eugenius, nequaquam acquieſcere in animum induceret, ſuos Amedeus iterum vna cum Imperatoris, Francorum Regis, & Ducis Burgundiæ oratoribus, Romā ire iuſſit, nequid intentatū relinqueretur: interclusis tamen ob Venetorū, & Mediolanenſium bella itineribus, cū peruenire non potuiſſent, ſic ad eum reſcripſit Eugenius. *Intelleximus Excellentiam tuam miſiſſe ſuos oratores, qui vna cum oratoribus Cariſsimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Sigiſmundi Romanorum Imperatoris, ac Caroli Regis Francorum Illuſtrium, & dilecti filij Nobilis viri Philippi Ducis Burgundiæ, qui huc venerunt, & debebant ad nos accedere ſuper comprobatione Decreti*

Reſpondet Eugenius.

cuiuſdam

cuiuſdam facti in Concilio Baſilienſi. Verum propter guerras circumuicinas non potuiſſe ad vrbem venire, hoc per inde habemus, ac ſi illi ad nos veniſſent, & ita eſt nobis grata, & accepta tua bona voluntas, & diligens opera, quam in Concilio pro honore noſtro, & ſedis Apoſtolicæ demonſtraſti, pro quibus tuam prudentiam in domino ſummis laudibus commendamus. Verum ante aduentum dictorum oratorum iam concluſeramus ſuper materia illa, cum veniſſet huc cum literis præfati Imperatoris Ambaſciator Venetorum, quem remiſimus cum Bullis opportunis prout notum erit tibi. Hortamur tamen tuam deuotionem, vt quemadmodum hactenus feciſti ſis intentus, & feruens ad defenſionem, & conſeruationem noſtri honoris, ac dignitatis, & autoritatis Apoſtolicæ ſedis, quam velle impugnare ad præſens non expedit, neq; conducit Eccleſiæ vniuerſali, quæ per debilitatem capitis, vt ipſa debilitetur, neceſſe eſt. Hoc igitur conſiderans dilecte fili mandes, & exhorteris Prælatos tuæ ditionis in Concilio exiſtentes, vt non permittant authoritatem noſtram, & Romanæ Eccleſiæ ſuppeditari, & quod hactenus à ſanctis Patribus conſtitutum, & huc vſq; ſeruatum eſt, vt id quoq; obſeruetur in poſterum, totis viribus operam præſtent, vt ſic agens apud Deum merearis conſequi æterna præmia, & apud homines laudem, & gloriam conſequaris. Datum Romæ 1433. Prid. Id. Ian. Pontif. noſtri an. 3.

Amedei in ſe beneuolētiam commēdat Eugen.

VIII. Eugeniũ inter, & Amedeum priuata amicitia.

Non de nihilo Eugenius magnam in optimi Ducis Zelo ſpem collocarat, nullus enim Principum erat, qui adeo conſtanter in tuenda ipſius auctoritate incumberet. Nec Chriſtianæ Reip. ſalutem tantum, aut Pontificiæ dignitatis Maieſtatem, ſed ſingularem etiam cũ Eugenio amicitiam ſtudij huius

incitamentum habebat. Fidem vtriuſq; facit Epiſtola proximo Menſe Martio data. *Iam pridem*, inquit Pontifex, *à multis fide dignis audiuimus, & quotidie à venerabili fratre noſtro Ioanne Epiſcopo Ambianẽſi Referendario noſtro audimus, & veraciter informamur, quantum tua nobilitas ſit intenta, & omne ſtudium ſuum apponat ad honorem, & ſtatum noſtrum, & Romanæ Eccleſiæ conſeruandum. Acceſſit etiam fida relatio ſuper hoc dilecti filij Ioannis de Griboudl Cubicularij noſtri, qui tuas credentiales literas ad nos tulit, & commiſſa ſibi per te, nobis fideliter, & prudenter expoſuit; Ex quibus optima voluntas tua nobis innotuit, quæ etiam cognita dudum erat. Et propterea regratiamur tibi, ac fidem, & deuotionem tuam plurimum in domino commendamus, hortantes te, vt in ſimilibus iuſtis operibus perſeuerans, quibus multos alios ſuperaſti, te ipſum ſuperare coneris. Nos enim recognoſcentes merita tua quantum cum domino poterimus, ſtudebimus tuæ Excellentiæ complacere, ſicut tibi præfatus Epiſcopus nunciabit, & ſuper ijs nonnulla commiſimus prædicto cubiculario noſtro ad tuã præſentiam venienti, & ideo velis eidem in his, quæ tibi referet parte noſtra ſuper iſta materia adhibere credentiæ plenam fidem. Datum Romæ, apud S. Chriſogonum an.* 1433. *Pont. an.* 3.

Amedei in ſe merita extollit Eugenius.

IX. Quibus verò officijs perfunctus ſit Amedeus, ſeu vt aduerſariorum Eugenij potentiam infringeret, ſeu vt facultatem criminantibus tolleret, ſeu denique vt inuidiam factorum eius minueret, & ſi ex toto non ſit traditum, plurima tamen ad nos peruenerunt, ex quibus de reliquis facilis erit cõiectura.

Prorogari ſuſpenſionẽ Eugenij poſtulat.

Nam cum flagrantibus vtrinq; odijs multa multi in vulgus iactarent, ederentq; ſcriptis, prout partibus

bus impliciti erant, tandem 14. Iulij eiuſdem anni trigeſimi dies à Concilio Pōtifici dicta erat, vt ſe ſiſteret; Recuſanti, contumaciæ inuſta pœna XI. Septembris, & niſi interceſſiſſet Imperator, triginta dierũ impetrata prorogatione, prona erant omnia ad extrema quæq; : quibus vt occurreret Amedeus, participato cum Burgundione Concilio Prolationem aliam, ſicut in votis habebat Eugenius, à Patribus extorquere aggreditur. In eum finem vtriuſq; Oratores communi ſtudio libellum ſupplicem Præſidi Iuliano porrigunt die veneris ſecunda Octobris, cui in hæc verba reſponſum eſt.

Quod Sereniſſimus D. Imperator nuper omnia ſeruitia per ſe Eccleſiæ Sāctæ Dei impenſa per ſuos Oratores referauit, ſupplicans, vt præmiſſorum intuitu ſacrum Cōcilium prorogare vellet terminnm datum Papæ ad 30. dies; quod Concilium cum magna difficultate fecit, vnam in decreto apponens clauſulam, quod nulla alia ad cuiuſuis inſtantiam dabitur dilatio. Nihilominus tamen Concilium non intendit procedere, ad depoſitionem Papæ, niſi conſultis Dominis Principibus, quodq; Domini in deputationibus ſingulis ſupra huiuſmodi cedula deliberabunt, & reſpondebunt. Cōcilij Reſponſio.

Multa id temporis agitata, prout quiſq; mollibus vel acrioribus Conſilijs tutiùs res geri opinabatur. Incidit in manus meas ſcriptum per eos dies ad Ducem Burgundiæ miſſum, in quo potiſſimæ rationes referuntur, quæ prorogationem diſſuadebant. *Primo conſiderandum eſt* (ait autor) *quod Papa duobus, & viginti continuis menſibus per concilium fuit exſpectatus, Requiſitus, & monitus, etiam per Reges, & Principes, vt adhæreret ſacro Concilio, vt reuocaret diſſolutionē per ipsũ* Rationes, quæ prorogationi obſtabant.

 factam,

factam, & plures dilationes ſuper hoc ſibi datas, quod facere recuſauit. Sed pendentibus dilationibus miſit ad Reges, & Principes literas, & nuncios, fecit impugnari, & diffamari Conciliũ propter ſibi acquirere fauores: propterea cũ ſufficienter, et amoroſe fuerit expectatus, & nõ fuerit ſequutũ niſi malũ, nullo modo videtur alia dilatio danda. Secũdò, pendẽte dilatione data ad inſtantiã Imperatoris, ſi alia daretur ſuper eodem ad inſtantiam alterius, non eſſet ſufficienter delatum honori Imperatoris. Tertiò, omnes, & ſinguli iurarunt decreta Concilij conſeruare, & cuſtodire facere quantum in ipſis eſt. Nunc dare dilationem eſſet contra decretum venire, in quo eſt clauſula derogatoria, videlicet quod non poſſit prorogari ad inſtantiam cuiuſcumq; Quartò ſemper Papa quæſiuit quod darentur dilationes, ſperans aliquam cauſam superuenire, quæ poſſet operari diſſolutionem, ſicut Peſtem, carentiam victualium, guerram, turbationem, ac ſeditionem in Concilio, quam aliàs procurauit per literas, & nuntios. Quintò, Dare dilationem, & tempore pendente Concilium diſſolueretur, Bohemi ſumerent maiores vires, & debilitarentur Ciuitates, quæ ſe opponunt eis, & ſperant habere prouiſionem à Concilio, & ſi Concilium eſſet diſſolutum, concordarent ſe cum eis, & tunc diffunderentur per Alamannias, & ad alias nationes. Sextò, Dare dilationem erit dare occaſionẽ Prælatis exiſtentibus in Concilio recedendi, qui ibidem fuerunt fere tribus annis cum maximis expenſis, & laboribus; Reges verò, & Principes qui nondum miſerunt, retardarent Ambaſciatores ſuos. Septimò, Non petitur dilatio, niſi ad euitationem ſchiſmatis, & ſcandali, ac ad iuſtificationem Concilij, ne videantur nimis leuiter receſſiſſe ab eo; Sed hoc non videtur ſufficere, niſi ſi fuerint certi, aut ſaltem ſperent veriſi-

veriſimiliter obtinere ab eo adhæſionem puram, & ſicut petitur, & ad hoc reſpondetur quod cum ad monitionem, & requiſitionem Eccleſiæ, ac multorum Principum, & vltimatè Imperatoris noluerit adhærere, & diſtulerit 22. Menſibus, & vltra, non faciet ad requeſtam cuiuſcunq; alius, ſed efficietur durior, ſperans poſſe pacificare Principes, vt remaneant ſecum, & ſic erit magis obſtinatus. hæc & alia id genus iræ properi, & Eugenio offenſi.

X. Rationes in oppoſitum.

Cæterum non deerant ſibi, & cauſæ Amedeus, aliję; Pontifici æquiores, aliam eſſe contendentes huius, aliam Conſtantienſis Concilij rationem, in eo neq; ſatis certum fuiſſe quis ex tribus legitimus eſſet Pontifex, & ipſorum conſenſione factum eſſe, vt Concilij iudicium ſubirent, nunc minime dubitari poſſe quin Canonicè Eugenius fuerit electus, & ipſum non modo non conſentientem; ſed renitentem ad iudicium trahi. Magnum illum Francorum Regem, Imperatoremq; Carolum cunctis Principibus in oculis eſſe debere, qui Leonis quāuis peſſimis decriminibus inſimulati, auctoritatem ſemper reueritus eſt, exemploq; ſuo Patribus in Concilio Romano prçiuit in hæc verba: *Nos ſedem Apoſtolicam, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum iudicare nō audemus. Nam ab ipſa nos omnes, & Vicario Dei, ſcilicet Paſtore eius, iudicamur, ipſa tamen à nemine iudicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit.* Vt vt ſit, maximam omniū, quæ in Eccleſia Dei eſſe poſſūt, controuerſiam, nō eſſe in tantas anguſtias conijciendam: bona conſilia, mora valeſcere, impetum ſceleri proximum, non niſi à famæ ſuæ prodigis periculum imminens grauiore periculo redimi, hactenus

Papa Iudicem in terris non habet.

Anaſtaſ. Biblio. in Leone 3.

nus   I

nus Eugenio apud ſapientiſſimos quoſq; feſtinatã ſententiam prẹiudicaſſe non leuiter, cur igitur pari præcipitatione illum abſoluant, & ſuam apud Reges, & Principes integritatem corrumpant? Vel ſapiant nocentis caſu, vel innocentem fateantur.

XI. Prolatio data.

Valuerunt iſta apud Patres, & prolationem obtinuerũt ſpecie magis quàm reapſe ſalutarem: aſſultantibus, quippe, & aures Eugenij continuò verberantibus Imperatoris, & Chriſtianorum Principum monitis,

Eugenius conciliatur Baſileenſibus.

frangi ſe paſſus eſt, vt ad conditiones eas pacis deſcenderet, quas Baſileenſes poſtulabant, quę conditiones in ea Bulla deſcribuntur, quam decimo quinto Decem. eiuſdem anni trigeſimi tertij Romæ dedit, & Baſileæ in Concilio nonis Februarij anni ſequentis recitata eſt, aſſidẽte Imperatoria magnificentia Sigiſmundo, Vulielmo Bauariæ Duce, alijsq; Imperij Principibus, & Baronibus. ſumma eſt, *quod cum certis de cauſis Eugenius Baſileenſe Conciliũ legitimè congregatum pro extirpatione hæreſum, Pace populi Chriſtiani, ac generali reformatione Eccleſiæ, in capite, & in membris diſſoluiſſet, & ex illa diſſolutione ortæ eſſent graues diſſentiones, & grauiores oriri poſſent, decernere ſe, & declarare præfatum generale Concilium Baſileenſe à tempore Inchoationis ſuæ legitimè continuatum fuiſſe, & eſſe, proſecutionemq; ſemper habuiſſe, continuari, ac proſecutionem habere debere ad prædicta, perinde ac ſi nulla diſſolutio facta fuiſſet. Quinimo prædictam diſſolutionẽ manẽ, & irritam fuiſſe. Præterea reuocare ſe duas literas* (addit alias quaſdam ſuo nomine fictas, & vulgatas fuiſſe, quarum author nõ eſſet, quod moneo, vt lector meminerit multa per hæc tempora partium ſtudio in vulgus

Seſſio. 16.

Confirmat acta Cõcilij.

Reuocat omnia, quæ contra Concilium fecerat.

vulgus exiſſe ementita, & calumnijs fœda, quorum ipſa partium capita nihil noſcent) *à ſe promulgatas in Concilij præiudicium, & quidquid per ſe, aut ſuo nomine in derogationem eiuſdem ſacri Concilij, ſeu contra eius authoritatem factum, & attentatum, ſeu aſſertum eſt, caſſare, reuocare, irritare, et annullare, vtrũ autẽ fuerit legitima Citatio, & defenſio, velle ſe ſtare iudicio ipſius Concilij*, hæc quàm cautè, & ſapienter ab Eugenio ſcripta, factáue ſint, aliorum eſto iudicium, Enimuerò Baſileenſes his acceptis literis nihil antiquius habuerunt, quàm, vt decreta renouarent, quibus ſtatutum erat, *obedientiam à Papa Concilijs deberi in his, quæ ad Eccleſiæ reformationem in Capite, & membris pertinent*, vt ſic non ſua modo ſed etiam Pontificis authoritate ſtabilita viderentur. Certè cum recruduere contentiones, hoc maximè Eugenium telo, velut ſuo, conficere nitebantur, qui præter vim ſibi factam, quid opponeret, non habebat.

Subijcit ſe Concilij Iudicio.

Damna inde ſequta.

Seſſio. 18.

XII. Amedeus Sancita Pace cogitat ſeceſſum.

Redierat Eccleſiæ pax redintegrata Concilij cum Põtifice conſenſione, & ea rerũ facies erat, quæ Principibus Chriſtianis non modicam tranquillitatis ſpem exhiberet; magna ſane omnium voluptate, ſed noſtri in primis Amedei, qui per eos fere dies ad optatum ſolitudinis Portum cymbam ſuam appulerat, vt in eo ab irruentibus Aulæ curis expeditior quieſceret. Sed quoniam exemplo ſuo fecit Amedeus, orbis vt Chriſtianus agnoſceret nullũ adeo virtutum ſterile ſæculum eſſe, vt non illuſtri aliquo facinore clareſcat, neq; morum colluuiem eo vſq, Principum Aulas fœdaſſe, vt purioris ſanctioriſq; vitæ deſiderium quorundam mentibus nõ

altè

Digitized by Google

altè inſideat, enitendum nobis eſt, vt facti huius memoria, quã fieri poterit incorrupta in poſteros abeat.

Diſponit res ſuas.

Iam diu erat cum Amedeus ſecum ipſe agitabat conſilium abdicandi Principatus, & ſe totum Deo deuouendi: conſtituendæ tamen erant prius res domeſticæ, publicæue, ne quod ex eius abſentia detrimentum Reſp. pateretur, collocandæ in primis filiæ, & Regum Principumq; potentiſſimorum neceſſitudinibus ſtabilienda Domus; Primogenito cõiux optanda è Regali Luſignanorum apud Cypriẽſes ſtirpe, componendæ cum Montisferratenſi Comite controuerſiæ, vt quietum, & ſecurum filio Imperium relinqueret: his itaq; conſtitutis Princeps belli paciſq; artibus clariſſimus adiectis ad paternam hæreditatem vltra, citraq; Montes ampliſſimis Prouincijs, Ducali dignitate auctus, affinitate cum maximis Regibus contracta, firmato ſanctiſſimis legibus Imperio, reſtituta bis Eccleſię Pace, tandem quod multis ante annis prouiſum, deliberatumq; habebat reipſa exequi, & perficere aggreditur.

Ripalliæ deſcriptio.

Sylua eſt altiſſimis opaca nemoribus ad ripam Lacus Lemani è regione Loſannæ, vix duobus, tribuſuè ſtadijs abs Thononenſi oppido ſita, amœniſſimis hinc inde pratis, vinetis, & ſationibus diſtincta: Amauerat locum hunc iam à primis annis Amedeus, in eoq; domum Regia magnificentia fabricarat, quam à vicina Lacus Ripa, Ripalliam vocarat, huic Paradiſum addiderat, in quo Cerui, Damæ, queq; aliæ ſanguinis humani innocentes feræ ſunt, impune ſtabulabantur.

Verum

Digitized by Google

Verum vt erat etiam inter remiſſiones animi, & Ludicra ipſa, pietatis retinentiſſimus, Monaſterium quoque magnis ſumptibus inibi extruxerat, aduocatis è celeberrima Agaunenſium Fratrum ordinis S. Auguſtini Abbatia Religioſis viris, qui Deo famularentur, & ipſi (cum eò ſe laxandi ex grauioribus occupationibus animi cauſa reciperet) ad pietatis ſtudia facem præferrent. Siue igitur ex frequenti cum ſanctiſſimis Cœnobitis conſortio, ſeu inſito, & prope innato quodam rerum diuinarum ſtudio, quo iam inde à prima adoleſcentia tenebatur, ſeu, quod verius exiſtimarim, longa rerum experientia edoctus quàm fluxa, & inania ſint illa, quæ homines tanti facere ſolent, opes, honores, & dignitates etiam ſummæ, in altam quandam omniũ iſtarum rerum deſpicientiam venit, quæ illum ſenſim ad tranquillum, omniſq; agitationis expertẽ ſeceſſum quærendum impulit. XIII. Vnde illi mens ſolitariæ vitæ capeſſendę.

Cogitabat ſecum vir ſapientiſſimus quot, & quàm funeſtas in ampliſſimo orbis Chriſtiani theatro tragedias quadraginta illis annis, quibus ſceptrum tenuerat, excitatas viderat, & peractas. Replicabat animo horrendas illas tempeſtates, quas Burgundionum, & Aurelianenſium rabies, immiſſis ad eã penitus ſubuertendam Anglis, in vicina Gallia conciuerat, quas niſi ſingulari quadam prudentia, & authoritate, multiſq; laboribus magnam partem ſedaſſet, conclamata Nobiliſſimi Regni ſalus videbatur. Recurrebãt funeſtæ illæ clades, quibus quaſſata, & lacerata erat Italia Venetis in Mediolanenſes ſæuientibus, & Aragonenſibus contra Francos Calamitoſiſſima Chriſtiani orbis facies.

pro Regno Neapolitano digladiantibus. Obuerſabatur oculis Hiſpania, quam ſub infantia Ioannis II. & licentiore vita Catharinæ Matris eius, nec nõ fratrũ Aragonenſium, Aluariq; Lunenſis Tyrannide, gementem, & extremum prope ſpiritum viderat exhalantem. Tenebat mentem fœda illa, & monſtroſa Eccleſię facies, quæ tot annis tria capita prætulerat, in quibus reſecandis adeo ſibi fuerat deſudandum. Audiebat quàm cruenta Angliã bella funeſtarent, poſt exortas in ea purpureæ, cãdidæq; Roſæ factiones. Denique quocumq; circũferret oculos, nihil niſi atrox, turbulentum, & in ipſa pace infidum ſe ſe oſtentabat, quod rerum humanarum tædium in ſapientiſſimo pectore maximum afferret. Illud præterea tacitus perpendebat, fortunam, ſiue illam Prouidentiam, ſeu alio nomine dixeris, hactenus fere ſibi fauiſſe, quare cum natura ſua verſatilis ſit, & inconſtans, receptui canendum priuſquam illa ſe auerteret, & reliquum vitæ gratijs Deo agendis pro tot, tantiſq; collatis beneficijs impendendum. Nec deſunt, qui aſſerãt
I non lentos ei ſtimulos à Nepte ſua acceſſiſſe: Margareta ſcilicet à Sabaudia Theodori Monferratenſis olim coniuge, quę marito orbata nuntiũ mundo remiſerat, vt inter Religioſas Diui Dominici alumnas ſanctimoniam non vulgarem Albæ profiteretur, ſpreto Ducis Mediolanenſis Thoro, qui eã (etiã interpoſita ſummi Pontificis authoritate) à propoſitõ reuocare modis omnibus tentarat: audita quippe virtutis eius fama, quã miraculis haud obſcuris Deus illuſtrabat, vinci ſe Amedeus ab infirmiore

Margarita à Sabaudia Sanctita ę vitæ celebris.

firmiore

infirmiore ſexu in hac virtutum paleſtra minime decorum exiſtimabat.

XIV.

Amedeus ſocios adlegit.

Oratio eius ad illos, cui⁹ argumentũ extat tum in Teſtamento ipſius, tum in Diplomate quo filiũ ſibi ſuffecit.

His igitur accenſus facibus, cum aliquot è præcipua nobilitate viris agere cœpit, qui ætate prouecti, laborum pariter conſiliorumq; eius in moderanda Republica fuerant participes. Ac primò, cum ijs, crebra de diuinis rebus miſcere colloquia, incertos rerum humanarum exitus, fortunæ mobilitatem, pronas in deterius hominum mentes ſub aſpectum ponere, quàm fœlices porro eſſent illi, qui extra omnem hanc aleam poſiti vetus illud, atq; ab ipſis gentilibus toties vſurpatum præceptum attenderent, Deum ſequere? Quid vero inſipientius, quàm mentes noſtras æternitati natas tum demum ad ęternarum rerum cogitationē vocare, cum nos non cętera modo omnia, ſed ipſa etiam deficit cogitandi vis, & perſpicacia? his alijſq; in eundem ſenſum ſæpe iteratis, vbi commotos ſenſit, tandem omnes animi receſſus illis aperuit: ſatis ſe hactenus in ancipiti Imperij Circo decurriſſe, eundem pene ſibi ad Regni, qui ad vitæ ſpatium ingreſſum patuiſse, & ſi ſenum ſit publicis præeſse rebus, totam vitam ſuam ſenium fuiſſe horrere adhuc animum quoties reuolueret, quàm lubrica ſit hæc arena, quàm frequentibus Eurippis ſubdola, quàm triſtibus exercita naufragijs; illos ipſos teſtes eſse, quanta contentione curſus iſte ſibi fuerit emetiendus, ne vel populariter exerraret, vel adducto nimis giro æmulos incurſaret: quoniam igitur Deo Auſpice ſatis fœliciter prouectus, non lōge abeſset à meta, vltimum dumtaxat ſupereſse

ætatis flexum, in quem mortalium, immortaliumq́ue oculi eſsent intenti, cæteros de iſto æſtimaturi. Proſpiciendum itaq; vt aliquando ſibi viueret, qui patriæ, qui ſuis ſemper vixerit, æquum eſſe, vt quoniam ordine vitæ mutato iuuenis ſenum curas non refugit, ſenex iuuenum otium nanciſcatur, non illud quidem iuuenili laſciuia conterendum, ſed æternitati imputaturus. Cõſtituta domi omnia, foris amicos Principes, longa pace diuitem, ſecurumq́; ſtatum, liberos adultos, & iam Imperio maturos, quid ni igitur eos vocaret ad clauum, exoneratòq; in primogenitum gubernandi pondere, tranquillam deinceps, & quietam in receſſu vitam ageret, propitiando numini intentam? & quidem niſi ætate, longisq́; curis fracta valetudo aliud ſuaderet, in oculis ſibi eſſe Lotharios, Hugones, Pipinos, Carlomanos, Rachiſios, Bambas, Veremundos, Sigibertos, Elteredos, atq; ex deceſsoribus ſuis Humbertos, qui Gallicis, Italicis, Hiſpanicis, Anglicis Sabaudicisq; ſceptris, & purpura valere iuſſis, aut in ſolitudinibus latuiſsent, aut Cœnobitico iugo collum inſeruiſsent: Nunc quoniam vires ad tantum onus ferendum minime ſuppeditẽt, quantum in ſe eſset eorum veſtigijs inſiſtere ſtatuiſſe; neq; enim inuenire ſe quocum melius quàm ſecum eſset; iam diu ſe vſu doctum quàm difficile vitiorum cateruatim irruentium impetus feratur; vicinum malum ſemper aliquid ex ſuo, etiam caſtigatiſſimis mentibus allinere; facilem eſse tranſitum ad plures, Antonijs, & Hilarionibus excutere mẽtem ſuam diſſimilem multitudinem poſse; turbam

Exempla Regum, qui Monaſticam vitam profeſſi ſunt.

rerum

rerum, hominũq; deſiderent, qui ſe pati neſciunt, ſatis diu ſcenam alijs à ſe inſtructam, ſibi, Deoq; deinceps ſcenam eſſe velle; eum in vſum in vicino Ripalliæ nemore ſeptem illas quas viderint turres contiguas à ſe erectas, in quibus vnà cum ſex alijs eiusdem propoſiti viris reliquum vitæ degeret, ſi non cœnobita, at certè cœnobitis ibidem agẽtibus vtili familiaritate coniunctus: nihil magis animos honeſtate induere, dubioſq; & in prauum inclinabiles reuocare ad rectum, quam bonorum conuerſationem, paulatim enim deſcendere in pectus, & quandam quaſi legem imponere frequentem ſapiẽtis oculum; occurſum ipſum Religioſorum iuuare, & eſſe aliquid, quod ex pijs viris, vel tacentibus proficias; hanc ſibi deinceps ſcholam perpetuam, in qua ſe ipſum dediſcere doceatur, vt Deũ agnoſcat. Viderint itaq; illi an quem hactenus mũdanę militiæ, cęleſtis deinceps Ducem habere velint? immo vero in illorum manu eſſe, vt quem tot annis Principem agnouerint, Commilitonem nũc ſuum experiantur; certum quippe ſibi eſſe non cõtubernio modo æquales, ſed tota vitæ ratione pares eos habere, qui ſe ipſi ſocios adiunxerint. Meminerint quoties communem ſecum fortunam ſortiri honorificum duxerint, nec vllo periculi, mortiſue terrore à propoſito abduci ſe poſſe iactarint. tantum potuiſſe ſacramenti reuerentiam, in medio eſſe, vt poſteritas per eos ſciat exẽpli vim, fideiq; cõſtantiã in caſtris Dei, quàm mũdi nõ eſſe minorẽ.

Stupor ingens primùm, deinde pudor circunſtantium animos inceſſit. Arduũ prima ſpecie videbatur Du- *Acquieſcũt eius monitis.*

cis

cis conſilium, ſed quid non molliat tanti viri ſocia virtus? duceret igitur quo vellet acclamant, quã libet aulam eo abſente ſolitudinem ſibi fore, eo pręſente quamlibet ſolitudinem celeberrimæ aulæ loco futurã; neq; paſſuros: vt minus reuererentur sãctioris vitæ auſpicem, quàm militiæ Ducẽ. Non tenuit lacrimas Amedeus effuſi gaudij non dubiũ pignus, ruit igitur in amplexus, & ſingulorũ dextras ſtringens quaſi nouo ſacramento in ſua verba addictos oſculo dato Mauritianos milites inaugurauit. Pergere, & deinde ſecũ ire iuſſos, Ripalliã abduxit vbi per eos dies multa cum illis, multa cum cœnobij moderatore in occulto agitauit, quæ ad nouam militiam ſtabiliendam pertinebant.

XV. In Comitijs Ripallienſibus ſuã mentem publicè aperit.

Conuenerant interea Thononum è triplici ordine delecti viri, quos ad publica comitia Amedeus euocarat. Placuit in Ripallienſi Palatio ea celebrare, cunctis mirantibus, & inter ſe diſceptantibus quorſum euaderet adeo inſolentis loci delectus. Affulſerat indicta dies ſeptima Nouembris, & Regia magnificentia cuncta erant inſtructa: aderant in diſpoſitis ſubſellijs hinc Epiſcopi, & Prælati cæteri, illinc Cancellarius vna cum reliquo Magiſtratu, nec non è nobilitate proceres, affuſiq; circunquaq; ex tertio ordine delecti. Medius in altiore Podio ſederat Amedeus, latera eius tegebant, humiliore tamen in ſede, Ludouicus, & Philippus eius liberi: paulo inferius Humbertus, ex impari matre Ducis frater, vnà cum duobus Sabaudiæ Mareſcallis. Silentio per Præcones indicto, concionem inſtituit Amedeus, in qua multa de adminiſtratio-

ne

ne ſua per continuos quadraginta, & eo amplius annos diſſeruit, quanto pacis, quanto ſecuritatis ipſorum ſtudio cuncta rexiſſet, curas præterea, labores, & pericula commemorauit (modeſtiæ tamen vbiq; memor) quæ pro Reipublicæ ſalute toties exhauſerat, nec pueritiam quidem ſuam vacaſſe à grauioribus munijs, emerita iam pridem ſibi eſſe ſtipendia, miſſionem, quam ne Gregario quidem militi neget quiſquam, haud quaquam Principi inuidendam: liberos ſibi eſſe iam adultos ijs artibus inſtitutos, eaq; indole præditos, vt in partem Regiminis nullo Reip. damno, magno ſui leuamẽto vocari poſſint.

XVI. Ludouicum Primogenitum Principem Pedemõtiũ creat, nouo exemplo.

Hæc cum ſingulari prudentia, authoritate, & charitate diſſeruiſſet, muſſitantibus, vt aſſolet multis, nemine contra hiſcere auſo, tabulas proferri iuſſit, quas in eum vſum paratas habebat. Ac primum eas per Notarium legi iuſſit, quibus Ludouicum primogenitũ (abrogato ei Comitatu Geneuenſi) Principem Pedemontium conſtituebat, quæ dignitas tum primũ primogenitis huius domus tradi cœpta eſt. Placuit hoc loco potiſſimas publici inſtrumenti clauſulas recitare, vt quę fuerint huius inſtituti primordia, quiùe Amedei ſcopus, melius intelliga tur. *Quiſi quidem* (ait Notarius poſt ſolemnes Principij formulas) *Dominus noſter Dux, ſedula meditatione perſpiciens quanta morum vetuſtate Principum liberi ſint alendi, quantaq; magnanimitatis alimonia ſit cordibus eorum impingenda, vt cum in eis indolitatis virgula flecti poteſt, prona virtutum ſemina infundantur, & impreſſi honoris caracteres adeo ſolidentur, quod dum dominiorum*

Diploma Principatus Pedemõtij.

niorum faſtigijs ſublati ſunt, Deum potiſſimè timeant, & ſuis terminis contenti cæteros non ſpernant reuereri, conſiderans quantum illuſtris eius primogenitus Dominus Ludouicus de Sabaudia Comes Gebennenſis à ſuis pueri libus annis, quibus titulo Comitali præditus extitit, irrefragabiliter nixus eſt ſcientia, & moribus erudiri, volens propterea ipſe dominus noſter Dux diuino inſtructus exemplo quo talentorum authorem maioribus extolli nouit, & humi abdicatione peſſundari, decreuit ipſum primogenitum, Deo Laudes, morum grauitati perſiſtentem, maioris dignitatis titulo extollere, vt perinde ſuæ cernens etimologiam dignitatis iuueniles mæſtitias exuat, & ſuo compos animo illis inſiſtere ſtudeat, quæ Reip. propagationem conſpiciunt, & ſalutem: idcirco ipſe idem Dominus noſter Dux ad perſuaſionem attingentium, Vaßallorumq; & ſubditorum poſtulationem ex eius certa ſcientia, & voluntate ſp[illegible]ntanea Principum, Prælatorum, Baronum, & aliorum ſuæ ditionis Procerum participato Conſilio, ad Laudem Dei, cuius opem humiliter inuocauit, ad Sacri Romani Imperij exaltationem, dictum priſtinum titulum Comitatus Gebennenſis ab eodem illuſtri eius primogenito protinus abdicauit, illumq; in ſemet reuoluens, & retinens eundem illuſtrem eius primogenitum Dominum Ludouicum coram eo pronum ſtantem (procubuerat ſiquidem in genua fidelitatis ſacramentum patri prẹſtiturus) *pro ſe, & ſuis liberis, & liberorum liberis maſculis, naturalibus tamen, & legitimis ex ſuo proprio corpore de maſculo in maſculum legitimè deſcendentibus dumtaxat, Principem Pedemontium conſtituit, ſtabiliuit, & ordinauit, & ad huiuſmodi Principatus nomen, titulum, & dignitatem ſingulaſq; præeminentias eiuſdem extulit, præfecit, & ſublimauit*

mauit

mauit,&c. addidit tamen multas exceptiones, tum vt filium in officio contineret, tum vt auctoritatem ſuam ſartam tectam conſeruaret; voluit quippe, vt in ijſdem tabulis habetur, licere ſibi quoties vellet hoc inſtrumentum reſcindere, vtq; integra adminiſtratio, dum in viuis eſſet ad ipſum pertineret: vſum præterea cudendæ monetæ vetuit, aliàq; addidit quæ longum eſſet recenſere. *Quibus omnibus* (ſubdit Notarius) *ſic adiectis, & reſeruatis ſucceſſiuè, illico, & incontinenti in præſentia dictorum teſtium, & mei publici Notarij, vt ſupra ſtipulantis Præfatus dominus Dux Sabaudiæ ad magnam Plateam Ripalliæ profectus, circumſtantibus quam pluribus alijs Prælatis, Baronibus, diuerſorumq; Principum Ambaſciatoribus, aliaq; multifaria Procerum, & peritorum comitiua, Præfatum Dominum Ludouicum de Sabaudia eius primogenitum (quem hodie cingulo militari, & ordine eius Collaris inſigniuit) præſentem, & humiliter pro ſe, & ſuis quibus ſupra liberis maſculis, & legitimis recipientem, de ipſo Principatu Pedemontium, eiuſq; dignitate ſub, & adiectis modis, reſeruationibus, & conditionibus ſupraſcriptis, per traditionem nudati enſis inueſtiuit, &c.*

XVII. Philippũ ſecundogenitũ Comitatu Geneuenſi donat.

His peractis, Philippum Secundogenitum militari cingulo donatum (Equeſtris torquis inſigne in tempus dilatum) Comitem Geneuenſem (ſupremo tamen iure ſibi, ſuiſq; ſucceſſoribus reſeruato) inſtituit.

Teſtes è precipua nobilitate.

Subſcripſerunt vtrique inſtrumento teſtes aduocati *Franciſcus Epiſcopus Gebennenſis, Ioannes Epiſcopus Loſannenſis Ogerius Epiſcopus Maurianenſis, Ioannes de Beloforti Cancellarius, Humbertus Baſtardus Sabaudiæ,*

Manfredus ex Marchionibus Salluciarum Mareſcallus Sabaudiæ, Iacobus Dominus Miolani, Richardus Dominus Montiſcanuti, Ioannes de Montelupello, Dominus Chautagniæ, Ludouicus Baſtardus Achayæ (qui deinde fuit Mareſcallus Sabaudiæ) *Lancelotus Dominus Luyriaci, Henricus de Colomberio, Claudius de Saxo, Franciſcus de Thomatis audientiæ generalis, Petrus Marchan di Conſilij Vltra montes reſidentis Præſidentes, Humbertus de Glerens, Dominus Viriaci magni, Ioannes de Compeſio Dominus Gruffiaci, Rodolphus de Alingijs Dominus Codrey, Petrus de Mentone, Dominus Montiſtroclerij, Robertus de Monte Vagnardo milites, & Giuliermus de Foreſta ſcutifer.*

XVIII. Ludouico vices ſuas in tota ditione committit.

His magno apparatu in platea celebratis, reuertitur in Aulam Amedeus, medius inter Principem, & Comitem filios, cunctiſq; adhuc expectatione ſuſpenſis, rurſus in Podio reſedit, ac poſt quam Populis ſuis nouum Principem gratulatus eſt, oratione ad Ludouicum conuerſa, grauem in primis, ac piam habuit cohortationem, vt eum ad Reipub. adminiſtrationem forti animo capeſſendam erigeret. Summa fuit, vt conſtantem in Dei cultu, & obſequio obſeruantiam, perpetuum erga neceſſarios, & ſanguine ſibi iunctos amorem, paternam erga ſubditos caritatem, fidem erga alienos inuiolabilẽ, iuſtitiam præ ceteris integerrimam ſuaderet: Porroq; meminiſſet illis artibus Remp. à filio conſeruandam, quibus fuiſſet à Patre ſtabilita. Sibi quidẽ in animo fuiſſe omnẽ omnino imperij curam exuere, vt vniuerſam humeris eius imponeret, neque dubitare ſe quin par ſit oneri ferendo, ne tamen iuuen-

iuuentutem eius grauioribus frangeret laboribus, re maturius cum ſapientibus deliberata, non detrectare ſe quin in arduis Reip. negotijs conſuleretur, imo vero pro ſua auctoritate iubere, vt quoties vſus eſſet eum vel per ſe, vel per ſuos adiret Ludouicus, grauiſſima quæq; deliberaturus. In eũ finẽ delectos à ſe de pręcipua nobilitate ſex viros rerum vſu, ſcientia, & experientia exercitatiſſimos, qui ſponte abdicatis omnibus alijs ſollicitudinibus, ſibi aſſiderent, vnaq; ſecum ita Deo in ſeceſſu tranquillo toti famularentur, vt cum neceſſe eſſet in patriæ caritatem incumberẽt, eáq; ſuo conſilio ſenes tuerentur, quam viri fortiter manu propugnaſſent.

Atq; vt ſcirent omnes qualem in filium poteſtatem transferret, à Bolomerio (qui à ſecretis ipſi erat) reſcriptum publicè legi mandauit, quod ſuper ea re condiderat in hæc verba.

In nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis perenniter triumphantis. Amedeus Sabaudiæ, Chablaſij, & Auguſtæ Dux, &c. Illuſtri primogenito noſtro Ludouico de Sabaudia Principi Pedemontium ſalutem, & fælicem vitæ, ac morum propagationem. Seruire Deo regnare eſt. Regnum eius quærentibus cuncta adijciuntur, & ſingula offerendo, centupla accipiuntur. Operoſus ergo pater ille familias, qui licet denario humanis cũ indiuiduis pepigerit, nouiſſimoſq; prioribus æquauerit pœnis annuere, quàm cohibere cenſetur, vt quamquam ampla ſeges ſulcis abdita frugem polliceatur vberiorem, nos tamen talibus laceſſiti caducibus extremæ vitæ exitum præſtolari vereamur, & à quo talenta recepimus ſegnius occurrere, quàm preueniri debeamus.

XIX. Tabulæ poteſtatis Ludouico permiſſæ.

 Cum

Digitized by Google

Amedeus de ſeceſſu diu te deliberaſſe profite-tur.

Cum igitur diuini ſpiritus opitulante gratia, à quo bona procedunt vniuerſa noſtris puerilibus ab annis, quibus inclitæ recordationis Illuſtris Dominus genitor noſter ad æterna vocatus, noſq; ad ſuæ ditionis gubernacula, vlla ſine diſceptatione aſſumpti fuimus, iam fere quadraginta annorum triũ luſtro tantæ rei ſarcinam humeris noſtris impoſitam, non ſine ſolerti attingentium Prælatorum, Baronum, Procerũ, & peritorum aſſiſtentia conſiliariorum, pacis tranquillitate, ſubditorum quiete, ac dominij fæcundatione geſtauerimus, ex his, & alijs de manu omnipotentis beneficijs ſuſceptis nos indelebiliter obnoxios merito reputantes, affectemusq; hac extrema æui noſtri parte debitum ſoluere, mundanaq; deliramenta deſerere, & illa fœlici Commercio ad æterna commutare, Proſpicientes ætatem virentem, morum venuſtatem, & alia virtutum primordia, quibus omnipotentis clementia perſonam veſtram dotare dignata eſt, nolentes præterea illam mundanis mæſtitijs ſinere inertem, ſed potius ſicut à lumbis noſtris proceſſit, eſſeq; noſtrum continuat, & in typo noſtrammet repræſentat, exaggeratis diuturnis præmeditationum ſcrutinijs, virorumq; orthodoxorum perſuaſionibus, non lapſu, vel extemplo, ſed vltro, & animo deliberato ſaluiferas ædes militares illius ſanctimonia inclyti patiendo victoris Patroni noſtri Mauritij Thebæorũ Ducis, quas in conuentu noſtro Ripalliæ inſtrui fecimus, nuper ingredi decreuimus, altiſſimo, quemadmodum ſalubre nouerimus, indefeſſe famulantes, noſq; mole noſtri Principatus partim exonerare, & illius regimine vos, vt plurimum onuſtum reddere, vt dum tempus habemus cernere valeamus quàm in vos tantæ rei gerendæ congeries perſpicaciorem intellectum præbeat, expertarum rerum agnitionem augeat, procerum peritorum conſilia roboret, & rei

familiaris

familiaris praticam iugiter exhibeat mitiorem. His itaq; & alijs laude dignis moti conſiderationibus, vos ex nunc, & quouſq; expreſsè contrarium geſſerimus Locumtenentē noſtrum generalem hac in ſerie conſtituimus, vobiſq; liberam, & omnimodam poteſtatem impartimur pro nobis de cætero quæcumq; Principatui noſtro tam generaliter, quā ſpecialiter incumbentia gerendi, exercendi, regendi, remunerandi, donandi, largiendi, exponendi, quittandi, remittendi, indulgendi, nos, & noſtra obligandi, iurandiq;, & alia peragendi in omnibus, & per omnia, ac ſi propria adeſſemus in perſona, etiam ſi talia forent, quæ ſeparatū mandatum exigerent, vel magis ſpeciale. Decernentes præſentium patrocinio literarum quæcumq; noſtro nomine geſſeritis, perinde valere, illumq; obtinere perpetuæ ſoliditatis effectum, quem, & ac ſi per noſmet geſta adeſſent. Verū ne quæ vtiliter agere putamus aliquorum ſubuertantur ſuggeſtionibus in hac largiflua poteſtate vobis attributa, pacto expreſſo adijcienda decreuimus, quæ ſequuntur.

Primò, quod in quibuſcunq; arduis occurrentibus, maturo Procerum, & peritorum conſilio inſiſtere debeatis, dignitatesq; Marchionales, & Comitales dum ſe caſus ingeſſerint conferendas arbitrio noſtro reſeruetis: confæderationes vero, quæ interdum ſubdolis verſutijs illaqueant potius quàm diſſoluant, abſq; noſtri iuſſu inire expreſsè prohibemus. Guerras etiam, quæ facultates ſubditorum prodigis ſorbent hiatibus exoſas habeatis, nec ſine expreſſo aſſenſu noſtro facere, aut alias ſuſcitare audeatis, Dominium autem noſtri Principatus, illiusq; præeminentias ſicut diutius, magniſq; cum diſcriminibus partæ ſunt, citra conſenſum noſtrum nequaquā diminuatis, vel alias alienetis, ſed quantum cūm ſalute poteritis tueri, & augere ſtudeatis. Monetas itaq; quas

Reſeruationes.

iuſta

iuſta debet ponderare ſtatera, ne publica omittere poſſint commercia nullatenus deteriorabitis, nec quicquam in illarum detrimentum citra noſtri aſſenſum patiemini immutari: finantias equidem fiſcales quibus moles gerendarum rerum dirigitur, occultari non permittetis, ſed per manus Theſaurarij noſtri generalis vniuerſaliter recipi facietis, iuſtitiam inflexibili animo extolli facere curabitis, illamq; quantum rite poteritis cuiuſpiam reiecta acceptione inſtabitis accelerari. Homagia etiam, fidelitates, & alia ſubditorum officiariorumq; iuramenta nomine noſtro recipietis, & ipſos officiarios velut noſtros conſtituetis. Prælaturas vtiq; ditionis noſtræ ne ad manus deueniant incapaces, nec ad illas pro indignis immeritisue aliquorum importunitate inſtetur ſine ſcitu noſtro conferri non inſtabitis. Etiam beneficia Eccleſiaſtica ad collationem noſtram vacatura nobis remittetis conferenda. Et generaliter omnia alia animo indefeſſo facere curabitis, quæ ad honorem, & vtilitatem noſtri, & conſequenter veſtri noueritis facienda. Et licet noſcamus ad præmiſſa vobis collata noſtrorum applaudere vota ſubditorum, expreſsè tamen mandamus, & diſtricte iubemus vniuerſis, & ſingulis officiarijs, fidelibus, ſubditis, ſtipendiarijs noſtris quibuſcumq; ſtatu, & autoritate fungentibus, quod ex tunc in antea vobis veſtriſq; literis, iuſſibus, & mandatis pareant efficaciter, & attendant tanquam primogenito, generaliq; locumtenente noſtro, & ac ſi propria illa ageremus in perſona. Datum Ripalliæ die Dominica, ſeptima Nouembris anno domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quarto, indictione decima tertia, per dominum, præſentibus illuſtri eius filio Domino Philippo de Sabaudia Comite Gebennenſi necnon Dominis Franciſco Epiſcopo Gebennenſi, &c. Iidē

fere

fere qui ſupra teſtes enumerantur, quibus addun-tur *Guilliermus Dominus Aulæ nouæ, Amedeus de Chalam, Ioannes ex comitibus Valliſpergiæ, Guilliermus de Gebennis, Petrus de Grolea, Guigo Gerbaſij milites, Vrbanus Siniſerij, Rodulphus de Feſiniaco, Iacobus Orroy, Antonius de Draconibus, & Antonius de Romagnano doctores*.

Quæ vbi in conſeſſu recitata ſunt, reliquis ibidem cõſiſtere iuſſis, in proximum penetrale ſeſe Amedeus abdidit, abiectoq; paludamento, omniq; alio ornatu, veſtes induit, quas in eum vſum ſepoſitas habebat. Idẽ ſex ſocij fecere; nec mora, cum ecce Amedeus vnà cum illis medium ſe ſe infert, non iam amplius diademate conſpicuus, ſceptro inſignis, purpura refulgens, ſed in vili penula Heremitam potius, quàm Ducẽ præferens. Veſtis omnibus erat talaris è panno rudiore, & villoſo cinericij coloris, zona latiore pręcincta, atq; ad pedes demiſſa; pallium humeros tegebat, cui capitium erat adnexum, ea fere forma, qua etiamnum hodie Parlamentorum Præſides in Gallia vtuntur; ſed erat eadem capitij, pallij, tunicæq; materia, baculus illis in manu retortus, qualis Priſci æui heremitis appingi ſolet, promiſſa barba, & capilli de induſtria intonſi, venerandaq; canitie conſpicui auguſtiores faciebant, Crux aurea de collo ſuſpenſa pectori imminens, pietatem augebat, vnicum id natalium inſigne retinuerant, cætera demiſſionẽ, paupertatemq; ſpirabant.

XX. Mauritianæ Militiæ prima inſtitutio.

Militum veſtis.

Poſtquã abdicauit Pontificatum, pileum rubrũ retinuit, quẽ male deinceps nonnulli Commilitonibus attribuerunt.

Commota tam inſolenti ſpectaculo comitia, adeoq; ſtupore defixi omnes, vt altum quoddam ſilentiũ

Motus animorum vi o Amedeo.

latè

latè omnia obtineret. Vbi vero receptis animis ſe ſe collegerunt, intenti in Patrem, & liberos, quo tandem hæc eruptura eſſent auidè præſtolabantur; ſed repente auditi eiulatus, viſæq; filiorum innocentes lachrimę, liberam gemitibus in omnium pectoribus viam laxauerunt. Confusę plorantium, ſuſpicientium, etiam inuidentium voces ſic cuncta miſcuerant, vt cum omnes loquerentur, nemo audiretur; certabant ſinguli ad Amedeum accedere, ſed cum omnes irruerent, religione tacti, nemo erat qui ſe ſe illi admouere auderet, manus eius oſculari vnum omnium erat votum, ſed tam eos reuerẽtia deterrebat, quàm amor ſtimulabat. Amedeus vt motum comprimeret, oſculo liberis impertito, cæteris in commune valere iuſſis, priuatim, ſingulos ſe admiſſurum magna beneuolentię ſignificatione recepit.

XXI. Comitia ſoluuntur.

Ita ſoluto Conuentu cuncti domos ſuas primùm, ac deinde vicinas latè Prouincias facti huius fama impleturi diſcedunt. Amedeus cum ſocijs nouo ordini fundamenta poſiturus, in optato ſeceſſu delitescit, tanto clarior factus orbi vniuerſo, quantũ obſcurus eſſe amauerat. Commilitonum nomina diligenter inueſtiganti, dúo dumtaxat occurrerũt, Henricus de Colomberio, & Claudius de Saxo, cæteros ætas inuidit. Scio Monſtreletium illis temporibus vicinum, atq; adeo nonnullos ipſum ſecutos, imo vero annales noſtros Gallicos, in quibuſdam ab his, quæ tradita ſunt eſſe diuerſos, vt cum multum auri veſtibus Amedei, & ſociorum circũponunt, eiſq; vitam luxu diffluentem obijciunt: ſed

Primi Equites Mauriciani.

Monſtreletius non ſatis huius inſtituti gnar⁹. *Parad. hiſtor. Sab. lib. 3. ca. 29.*

ſed Monſtreletius, aut incerta pro compertis tradidit, atque ita ceteros in fraudem induxit, aut quod propius vero eſt, qui Amedeum in hoc ſeceſſu ſecuti ſunt, corruptis ſacræ illius militiæ legibus licentiorem vitam agentes, argumentum ſpectantibus dederunt de initijs eadem temere aſſeuerandi, quæ in progreſſu videbant: nos ex publicis autoritatibus, & illorum temporum actis manu exaratis certiora hauſimus, quæ poſteritati traderemus.

XXII. Aneæ Syluij de Mauricianis militibus teſtimonium.

Quibus vt maior fides accedat, ea oculati, & locupletiſſimi teſtis autoritate firmabimus, is erit Aeneas Syluius (qui deinde Pontifex maximus Pij ſecundi nomen tulit) meminit iſte non ſemel cum in epiſtolis, tum in libris de Concilio Baſileenſi, tum in opere de ſtatu Europæ, Ripallienſis ſeceſſus: ſed maxime in Commeotarijs vitæ ſuę, quos (vt doctiſſimis viris placuit) ſub Ioannis Gobelini Amanuenſis ſui nomine vulgauit, vt ita perſonatus liberiús in laudes ſuas ſpatiaretur. Referam hoc loco paulo pluribus, quæ libro ſeptimo ex propoſito his de rebus commemorat. *Sabaudia*, inquit, *in Alpibus ſita eſt, quæ Galliam ab Italia diſterminant, & à Mari Liguſtico vſq; ad Heluetios protenditur. Arelatenſis Prouincia partem Sabaudiæ contingit, partem Delphinatus, & Rodanus magnam percurrit partem; præcipua Sabaudienſis dignitas circa Lemanum Lacum, cui, & Gebenna, & Lauſanna nobiliores Ciuitates adiacent. Sabaudienſem domum ex gente Saxonica profectam memorant olim Comites fuere. Sigiſmundus Imperator in* Conſtantienſi Concilio extincto Comitatu, Ducatum erexit;*

Ioann. Gobelin. lib. 7. Cõment. Pÿ 2.

* Imo Montluelli in Sabaudia tempore Conſilij Conſtant.

 Pri-

Primus eius gentis Dux Amedeus fuit, cuius imperium, & vltra, & citra montes late patuit. Duodecim Pontificales Eccleſiæ in eius ditione fuere. Vxorem duxit ex domo Burgundica Philippi Ducis ſororem: filiarum alteram Philippo Duci Mediolanenſi tradidit, alteram Ludouico Regi Siciliæ, cuius ſupra fecimus mentionem Ludouico filio primogenito coniugem ex Cypro copulauit: affinitate omnibus fere Chriſtianis Regibus iunctus eſt: Fortunatiſſimum, vicinorum miſeriæ fecerunt, in Gallia Burgundionum, & Armenicorum diſſidia flagrauerunt, & Angliæ furor Regnum vexauit, in Italia Veneti, & Florentini aduerſus Mediolanenſem Principem odio implacabili contenderunt. Amedeus procul ab armis in montibus regnās, nunc horum, nunc illorum arbiter eligebatur, atq; vnus omnium exiſtimabatur, qui ſibi, & alijs recte conſulere noſcet, diu ad eum quaſi ad alterum Salomonem hinc Itali, hinc Galli pro conſilio de rebus arduis recurrerunt.*

* Imo Amitā, erat enim Soror Ioannis, & Philippi Audacis filia.

Elogium Amedei.

Aeui ſui Salomon.

Et paulo poſt, *hic igitur relicto Ducali faſtigio, & omni ſæculi pompa procul eiecta, gubernatione ſubditorum primogenito commiſſa, ad Heremum conceſſit. In ripa lacus Lemani è Regione Loſannæ altiſſima fuerunt nemora, & ſub his prata decurrentibus aquis irrigua: horum magnā partem muro cinxit, incluſitq; Ceruos, & Damas, & quæ non ſæuiunt in homines, feras; Prope in litore lacus Eccleſiam ædificauit, Sacerdotes induxit, præbēdas erexit, & dignitates aliquas, & manſiones conſtruxit, in quibus Canonici commodè degerent: nec procul hinc Palatium magni operis conſtruxit, foſſa, & propugnaculis oportune munitum, in eo ſeptem manſiones fuere, ſex æquales, dignæ, quæ Cardinales reciperent, nulli ſua defuit aula, nulli Camera, & anticamera, & ſecreta quædam cubicula,*

Ripalliæ deſcriptio.

ſeu

ſeu precioſarum rerum receptacula. Septimā Principi dicatam nemo Regē, aut ſummo Pontifice iudicaſſet indignam. Hic Amedeus habitauit, quem ſex Proceres ſecuti ſunt grādæui, & ætate pares, quorum vxores iam pridem obierant, nemo non ſexageſimum annum attigerat: & quoniam Equeſtris ordinis milites fuerant, & ſæpe in bellis ordines duxerant, nec ſine gloria militauerant, in ipſa mutatione ſecularis habitus, ſ[illegible] Amedeo Decano, & magiſtro ſuo profeſſionem induerunt, & Sancti Mauritij appellari milites voluerunt: neq; enim procul ab eo loco Sāctus Mauritius cum Legione Thebea pro Chriſti nomine Martyriū pertulit. Cuncti penulam, & pallium, & cingulum, & baculum retortum, quibus Heremitas vti videmus aſſūpſerunt, & barbam prolixam nutriuerunt, & crines intonſos geſtauerunt, loco Ripallia nomen fuit, mille paſſibus fere ab oppido Thononio diſtanti. Cardinalis Sanctæ Crucis cum iret ſecundò in Galliam de pace acturus, huc nauibus appulit. Amedeus per Syluam quam diximus muro cinctā obuiam venit ad portam, quæ erat in litore. Spectaculo digna res, & quam poſteri vix credant. Princeps ſæculi Potentiſſimus, Gallis, atq; Italis metuendus, quem aureis veſtibus ornatum purpurati admodū multi circunſiſtere conſueſſent, & ſecures præire, atq; armatorum ſequi cohortes, & turba potentium, nunc ſex tantum Heremitis præcedentibus, & paucis ſequentibus Sacerdotibus, in veſte vili, & abiecta legatum Apoſtolicum excipit. venerat u digna ſocietas viſa; Crucem Auream Heremitæ in pectore geſtauerunt, id tantum nobilitatis ſignum retinuere, cætera contemptum ſæculi præſe ferebant. venere in amplexus Cardinalis, & Amedeus, & multa ſe inuicem caritate deoſculati ſunt. Nec ſatis Cardinalis aut admirari,

Milites Mauriciani.

aut collaudare conuerſionem Principis poterat, &c. Hæc diffuſiùs recitaui, vt qualę fuerit Amedei propoſitum in hoc vitæ genere inſtituendo intelligeretur, quod ex eiuſdem Amedei teſtamento, alijſq; autotatibus publicis confirmabitur.

XXIII. [M]auricianorum Militũ inſtitutum.

Vt igitur in pauca contraham, quæ ad hanc nouam militiam pertinent, hæc fere ſunt, quę ſpectauit Amedeus: Vt ſcilicet multiplicibus curis ſepoſitis quietam ageret reliquam vitam: in eum finem turres illę in Ripallienſi Nemore iuxta Monaſterium ædificatæ, in quibus non Monaſticam (falluntur qui ſcripſerunt) ſed ſecularem vitam non vulgari pietate coleret. Ne tamen ſecularem prorſus vitæ rationem ducere videretur, certas leges ſibi, ſocijſque dixit, quas ab his etiã obſeruari voluit, qui propoſitum eius deinceps æmularentur. Ac primò ſuũ inſtitutum, Ordinem militarẽ appellauit, eiq; à Diuo Mauricio Sabaudiæ Patrono nomen impoſuit, crucemq; auream pro inſigni addidit (hæc vera Mauricianorum Equitum origo, pleriſq; omnibus ignorata) huic ordini magiſtrum præpoſuit, quẽ Decanum appellauit (à quo nomine fluxit error eorum, qui decem ſocios ei attribuerunt) cæteros commilitones. Sabaudiæ Ducibus ad eos cooptãdos ius ſummum eſſe voluit, participato tamen cũ militibus conſilio: veſtis genus eiſdem attribuit quale ſupra deſcripſimus, pannoſum ſcilicet, & demiſſionem ſpirans, Continentiam illis indixit quã diu in eo loco agerent, miſſionem enim à Decano ſuo impetrare poterant, nocturnis, diurniſq; preci bus in monachorum vicinorum templo adeſſe iuſſit

[illegible]

Ordo eſt militaris, iſq; Secularis.

Magiſtrum habet quem Decanũ vocant.

Dux Sabaudiæ ius habet illius eligendi.

Veſtitus.

Continẽtia.

Preces.

ſit: Parſimoniam in victu ſingularem eſſe voluit, habita tamen ætatis, & conditionis eorum ratione, quod ex annuo canone illis attributo facile colligitur; ducentos dumtaxat florenos auri ſingulis pro ſe, famulisq; ſuis aſſignauit, Decano vero, ſexcentos, ita tamen vt iſte ſuis ſumptibus omnia ædificia ſarta tecta procuraret: delectus rationem haberi mãdauit, vt ſcilicet homines grandæui, vt plurimum ſexagenarij, è præcipua nobilitate cooptarentur, quiq; rebus gerendis, & maximè legationibus obeundis inclaruiſſent, vt nimirum quendam quaſi Senatum conſtituerent, in quo grauiſſima quæq; negotia componerentur: ita fiebat, vt non ſuæ ſaluti modo, ſed etiam publicæ vtilitati in hoc ordine conſtituendo conſuleret Amedeus. Victus ratio. Quales eligendi. Occupationes.

XXIV. Confirmantur hactenus tradita ex Amedei Teſtamento.

Quæ ne quis ad libitum ficta ſuſpicetur, prçterea quç ex eius diplomate ſupra deſcripta ſunt, concepta Teſtamenti ipſius verba cauebũt. *Item quia prænominatus Dominus noſter Dux teſtator autore Deo iam erexit, & fundauit iuxta dictum Monaſterium ſuum Ripalliæ à parte venti vnum Conuentum ſeptem militum ſeculariũ, & pro illorum ſtatu, & incolatu ſeptem domos contiguas in ipſo loco cum membris opportunis ſub clauſuris, dote, & ordinationibus infraſcriptis, videlicet in toto circuitu, & extra omnia ædificia dictorum Monaſterij, & domorum militarium vnam bonam, & ſufficientem clauſuram murorum, ſeu nemorum. Et extra ipſa mænia ab extra bona, & profunda foſſalia in ambitu dumtaxat nemorum, prædictis domibus, & ædificijs militaribus deſeruientium pro defenſione, & ſecuritate dicti Monaſterij, & domorum militarium prædictarum, vult, iubet, & ordinat*

idem

Digitized by Google

idem teſtator infra biennium poſt ipſius deceſsum per dictū eius hæredem infraſcriptum votiuè compleri, & perfici ea, quæ de præmiſſis poſt mortē eiuſdem domini teſtatoris reſtarent perficienda. Item decreuit idem dominus teſtator, vt dicit, quòd tam hac vice, quàm in futurum poſt deceſſum, vel receſsum alicuius ipſorum ſeptem militum per ipſum dominum teſtatorē, dum vixerit in humanis, & poſt eius deceſsum per ſuos ſucceſſores Duces Sabaudiæ viuentes pro tempore, ad quos idem Dominus teſtator ipſorum militum de nouo aſſumendorum, quotiens opus erit, electionē cum aliorum militum tunc ibidem degentiū conſilio vult, & diſponit perpetuè, & pleno iure pertinere, eligantur, & aſſumantur ad gremium dicti Conuentus viri egregij, in ordine militari conſtituti, ætate prouecti, in actibus militaribus honorabilibus, & longinquis viagijs, ac peregrinationibus, Principum Conſilio, & legationibus, ac alijs virtuoſis, & arduis negotijs diu commendabiliter exercitati, prudentia, & probitate comprobati. Et ab omni opprobrioſo crimine immaculati, mundanæq; militiæ, ac pompæ pro felici vitæ ſuæ concluſione, & ſalute ſponte renuntiare, & deinceps continenter, & virtualiter viuere diſpoſiti, qui tanquam Proceres, & conſil a ij præfatorum domini noſtri Ducis teſtatoris, ac eius ſucceſſorum Ducum Sabaudiæ, eorumq; Patriæ, in ijs præſertim, quæ militaria & alia ardua politica concernunt negotia, in caſibus occurrentibus, & de quibus eis dare conſilium licebit, fideliter ipſis dominis, & Patriæ conſulere valeant, ac etiam teneantur, prout idem Dominus teſtator ſingulariter confidit, & hac de cauſa poſt honorem Dei, ad huiuſmodi fundationem pro Reipub. totius patriæ ſuæ vtilitate aſſerit ſe ſpecialiter eſſe motum. Item decreuit idem Dominus teſtator vt dicit, quod

ipſi

Digitized by Google

ipſi ſeptem milites habeant perpetuè à domibus ſuis prædictis plenum, & liberum acceſſum ad Eccleſiam dicti Monaſterij Ripaliæ; dum ibidem diuina celebrantur officia die, ac nocte pro miſſis, & alijs horis Canonicis audiendis, ſuisq; orationibus dicendis, ac deuotionibus exequendis: ita quod Abbas, & Canonici ipſius Monaſterij ſint in ſpiritualibus miniſtri, & ſeruitores militum prædictorum. Item decreuit idem dominus teſtator, vt dicit, quód vnus ex Præfatis ſeptem militibus per ipſum dominum teſtatorem dum vixerit, & poſt eius deceſſum per ſucceſſores ſuos prædictos Duces Sabaudiæ cum liorum militum dicti Conuentus Conſilio eligendus conſtituatur, Et ſit Decanus aliorum ſex militum, ac eis præſit, & imperet in, & circa honeſtum modum viuendi, cui cæteri in omnibus licitis, & honeſtis obedire teneantur: pro cuius quidem Conuentus militaris dote, ac ipſorum militum congrua ſuſtentatione Præfatus Dominus teſtator aſſerit ſe decreuiſſe, & velle dare, & aſſignare perpetuè, & ſecurè prædicto conuentui mille, & octies centum Florenos auri parui ponderis, valente, ſeu computato pro quolibet ipſorum Florenorum duodecim groſſos monetæ communis ipſius Domini teſtatoris annuæ reuenutæ, in & ſuper rebus, & locis conuenientibus: Volens, & diſponens idem dominus teſtator, quod Decanus qui fuerit ibidem pro tempore, inde percipiat, & percipere debeat ſingulis annis ſexcentum Florenos, & quilibet aliorum ſex militum, ducentos Florenos ponderis, & valoris prædictorum, pro ſuis ſuorumq; ſeruitorum particularium victu, & veſtitu; Ita tamen quod idem Decanus pro tempore exiſtens ſuis proprijs ſumptibus debeat manutenere, coperturam omnium domorum, & ædificiorum, nec non ſupportare onus victus, & veſtitus, ac ſalariorum ſeruitorũ

com-

Digitized by Google

communium ipſius Conuentus, cum alijs ſuper hoc fiendis per ipſum dominum teſtatorem ordinatis: idcirco præfatus dominus teſtator ſingulari deuotione ductus ad prædictæ fundationis complementum, vt dictum eſt, vult, & diſponit, & iubet, &c. ſi forſitan idem dominus teſtator in vita ſua fundationem huiuſmodi quo ad dotem, & ædificia iam inchoata, clauſuramq; ac foſſalia prædicta morte præuentus (quod abſit) non adimpleuerit, hæres ſuus vniuerſalis infraſcriptus omne, & quicquid præmiſſorum omniũ complemento, tempore obitus ipſius domini teſtatoris defuerit, perficere, & complere teneatur.

Ex his nemo non facilè intelligit quàm religioſa fuerit Amedei mens in hoc inſtituto capeſſendo, quãq; aliena ab eo fuco quem inuidiosè nonnulli, alij per calumniam ipſi adlinere tentarunt, de quorũ impoſturis ſuus erit infra dicendi locus.

XXV. Ordinem Annunciatæ Virginis illuſtrat Amedeus.

Erit tñ fortaſſe aliquis cui tã impenſa Amedei in Mauricianos Equites cura ſuſpicionẽ inijciet vileſcere tum cœpiſſe ordinem, quem ab Annunciatæ Virginis nomine clarum fecerat Auus eius Amedeus Viridis, ideoq; illum (quod in alijs Prouincijs contigiſſe ſcimus) antiquo, vel abrogato, vel faſtidito, nouo vni illuſtrando, & promouendo attendiſſe. Sed erat vir ſapientiſſimus, & antiqui moris tenacior, & auitæ gloriæ ſtudioſior, quàm vt vetera, nouis, non ſine leuitatis nota poſthaberet. Tantum igitur abeſt vt maiorum inſtituris quicquã decedere pateretur optimus Princeps, quin cum de Mauriciano ordine ſollicitior videbatur, Virgineum (velut, præcipuum Sereniſſimę Domus ornamẽtũ) Primogenito conferebat, vti ſupra ex tabulis eius obſerua-

Num. 16.

Digitized by Google

obſeruatum eſt. Imo vero hoc ipſo anno priuſquã Ripalliã migraret, Comitia ſodalitij hui⁹ edixit ad Petrã Caſtri (vbi ſcilicet prima illius iacta ſunt fundamenta) in quibus hæ leges conditæ, & ad primas additæ ſunt decimotertio Februarij: Vt ſcilicet audita Sodalis cuiuslibet morte, cæteri oẽs atrati incederent, totiſq; nouem diebus ab Equeſtri Torque ferendo abſtinerent. Vt defuncti Torquis ſolemni ritu offerretur: Vt admiſſionis ordine ſeruato in iuſtis perſoluendis nullo diſcrimine Sodales incederent. Vt qui aliquam in ſe notam infamię ſuſcepiſſet, ad petitionem Heraldi à Sodalitij Magiſtro miſſi, Torquem redderet. Vt denique Sodalium nulli integrum eſſet, vllum Torquatæ cuiuſuis alius militię inſigne admittere. Quibus Legibus ab Amedeo Duce, & Magiſtro ſupremo ſancitis ſubſcripſere Ludouicus Marchio Saluciarum, N. Comes montis Reuelli, Antonius de Grolea, Humbertus Baſtardus Sabaudiæ, Ricardus Montis Canuti. Ioãnes Chautagniæ, Manfredus Salucienſis Sabaudiæ Mareſcallus, Ludouicus Moreæ.

Quæ quidem leges ad eas additæ ſunt, quas idem Princeps primo Maij anni M.CCCC.IX. tulerat Caſtellione Dombarum. Earum exordium è Gallico de verbo expreſſum ſic habet. *Nos Amedeus Comes Sabaudiæ, Dux Chablaſij, & Auguſtæ, Marchio in Italia, Comes Geneuenſis, &c. Omnibus, in quorum manus præſentes venerint, notum facimus; Quod cum felicis memoriæ Dominus, & Auus noſter Amedeus Sabaudiæ Comes Excellentiſſimus, & Potentiſſimus Princeps, qui in Apulia diem obijt extremum; ad honorem Dei, Beateq;* — Reſcriptum Amedei in quo declarãtur initia huius Ordinis.

Virginis, & xv. MYSTERIORVM eius, nec nō omnium Sanctorum, & totius Curiæ cæleſtis inſtituiſſet Ordinem Collaris nodis intertexti, in ſymboli modum, eiuſq; ordinis (in quem non niſi xv. ad legi poſſent) tum ipſe, tum Succeſſores eius Princeps, & Magiſter fuerit: Atq; ad eiuſdem conſeruationem certæ quædam Conſtitutiones, & Leges editæ fuiſſent quæ tum ad vitæ rationem, tum ad funus Sodalium è viuis abeuntium pertinerent, quarum Conſtitutionum non ſatis conſtans eſſet memoria, periculumq; eſſet, ne in dies magis, ac magis ex hominum mentibus delerentur; Cumq; idem Auus noſter Cœnobium Ordinis Carthuſienſium fundaſſet, & dotaſſet in oppido Petræ Caſtri Diœceſis Bellicenſis, in quo quindecim Sacerdotes ſingulis diebus ſacris myſterijs operarentur: Atq; hunc quidem Ordinem prædictus Auus noſter, & felicis recordationis Excellentiſſimus, & Potentiſſimus Princeps, ac Parens noſter, noſq; ipſi hactenus obſeruauerimus: Hinc eſt, quòd nos dictus Comes de conſilio cariſſimi, & dilectiſſimi Patrui noſtri Ludouici de Sabaudia Principis Moreæ, & cariſſimorum, dilectorumq; conſobrinorum, & fidelium noſtrorum D. Odonis de Villars, Domini de Baucio, D. Humberti de Villars, Seiſſel, Domini Sācti Hipoliti, & Orbæ; nec nõ dilectorū, & fidelium Conſiliariorum D. Ioannis de la Baume domini de Valuſin, D. Bonifacij de Chalan Mareſchali Sabaudiæ, & D. Antonij de Grolea, Volētes vt in poſterum Leges, & Conſtitutiones eiuſdem Ordinis obſeruentur, Eas colligi, & quidquid ad eundem Ordinē pertinet in vnam ſummam redigi mandauimus, ſecundum quam perpetuò deinceps, & inuiolabiliter obſeruentur:

Refelluntur impuræ quorundam impoſturæ circa Ordinis huius principia.

Non adſcribam hic, ne ſim longior, ſingula Conſtitutionū capita, quæ in Hiſtoria noſtra Sabaudica magis

gis appoſitè referentur. Et ab his quoq; fuſiùs hoc loco enarrandis abſtinuiſſem, ſi ab olido pruritu temperarent Laſciuientium quorundam ſcriptorum manus, quæ Harpijarum inſtar ſacra, profana contactu ſuo polluere non ceſſant. Diceres illos in fœtitutinis, & olenticetis educatos Camerinam ſecum trahere, qua vel ipſa Pæſta corrumpant. Quid enim à Principe chriſtiano vel cum Religione magis, vel magis cum fortitudine coniunctum potuit excogitari, quàm ſe, ſuorumq; fortiſſimos diuino cultu ita mancipare, vt ſerui, vel captiui inſtar, inſertũ Catenæ collum preferre non dubitaret. Hic tamen impuri oris homines, vt omnia calumnientur, neſcio quos ab Idalia crobylos, nexus, & flores ſomniant, Principi nuſquam cogitatos. Crucem alij velut ſacræ militiæ teſſeram ferebant, eã Amedei Maiores Gentilitia familiæ ſuę arma eſſe voluerunt, vt Religionis propagandę ſtudium, ſibi prope innatum profiterentur. Verùm, vt auitæ laudi nouos ſtolones viridis inſereret; Amedeus, felices nucellas fabricauit, quibus generoſiſſimum quemq; ſuorum vinciret, tum ſuo, tum Aui ſui Amedei magni exemplo permotum. Hinc arcani caracteres F.E.R.T. Torqui aureo ſapienter intexti, vt quoties, vel ipſe, vel Socij ſuum inſigne aduerterẽt, illius fortitudinis æmulatione ſuccenderentur, qua Sarracenis fugatis, Rhodos eſſet in libertatem aſſerta. Verùm ne in catena ſeruilem auerſarentur conditionem, Bullam de ea ſuſpenderat, quæ Salutatam ab Angelo Virginem exprimeret, tũ cum Rex Regum, ac Principum Princeps *Formam ſerui*

Digitized by Google

accipiens habitu inuentus eſt vt homo. Ac ne quod Pietatis deeſſet argumentum, in honorem quindecim Myſteriorum, quæ in B.Virgine veneramur, totidē ſacræ huius Militiæ Sodales eſſe iuſſit, totidemque Myſtas, qui Deo pro illorum incolumitate litarent. His auſpicijs Orientem ingreſſus Amedeus, Imperatorem Ioannem libertati, deinde Solio ſuo, atq; ad extremum Romanæ Eccleſiæ ingenti Chriſtiani Orbis gratulatione reddidit. His cunabulis verè Sanctis, verè Religioſis increuit Sabaudici Torquis Nobilitas, cui, qui de procaci ingenio ſuo inuerecundas adijciunt è Papho Conchas, & arcanos caracteres petulanti interpretatione fœdant, ve ut ſacrilegi impoſtores apud veritatis tribunal merito vapulabunt. Sed hanc laudem Amedeo noſtro poſteritas debet, quòd pro ſingulari ſua in res ſacras pietate, & in Auum ſuum obſeruantia, Religioſiſſimi Ordinis verum inſtitutum latere non ſit paſſus, relatis in publicas autoritates legibus, quas naſcenti Militiæ dixerat Auus, nouiſque hoc ipſo anno editis, quibus antiquæ illuſtrarentur, ac confirmarentur.

XXVI. Baſileenſis Concilij progreſſus.

Crediderat Amedeus, cum ſe abdebat, conſtantiorem fore in Eccleſia pacem, quàm euentu didicit: videbat quidem animos partium, quaſi ex longa, & graui valetudine emerſos, nō tàm morbi Reliquijs, quàm ſuſpicionibus inquietari: Sed ſanum eſſe corpus iudicabat, idque ſolum procurandum, vt ſanitati aſſueſceret. Triennium ferè tenuit ea pax, quam Eugenio cum Baſileenſibus reconciliato factam diximus, crebris tamen initio motiunculis,

mox

Digitized by Google

mox grauioribus offenſis labefactata. Procedentibus enim Baſileēſibus ad morum inſtaurationem, & multa molientibus contra Pontificiam auctoritatem, occulto paucorum odio, manifeſta (quanquam fortaſſe non ita prudenti) aliorum caritate; tandem apparuit impetum offenſionum languiſſe. memoriam valuiſſe, nec tàm inductam, & coalitã, quàm opertam fuiſſe veterem cicatricem. Non ferebat Eugenius indulgentias non de ſua auctoritate promulgari, tolli appellationes ad Sedem Apoſtolicam, Annatas, cæteraq; iura Pontificia ſine ſuo conſenſu abrogari, aliaq; tentari, de quibus grauiter, modeſtè tamen in epiſtola quadam expoſtulabat. Et verò nondum ſatis confirmata potentia mitioribus conſilijs tuenda, Patientiæ fama quærenda, benignitate, & caritate innoteſcẽdum erat. valuitque apud pleroſque eius contatio, quam eo vſque adhibuit; dum ſpes fuit concordiæ retinendæ, ſed cum Imperatoris Græci, & Patriarchæ Cõſtantinopolitani aduentu erigerentur omnium animi; Pontifice eos ad ſe modis omnibus trahente, Baſileenſibus nullas non artes adhibentibus, vt Baſileam, vel Auenionem tenerent, vtriſque diuerſos vnionis modos proponentibus, Oriente latinorum inſaniam ridẽte, qui ſibi ipſi diſſentientes aliorum vnionem tentarent, tandem Eugenius euicit, vt Gręci Venetijs exſcenſionem facerent, Ferrariã venturi, qua in vrbe eorum, vt aiebat, commodo conſulturus, reuera, vt Baſileenſes diſſiparet, Concilium edixerat. Qua de re monendum è veſtigio Amedeum Pontifex duxit, datis ad eum his literis,

Iterũ turbæ Eugeniũ inter, & Concilium.

Epiſt. ad Legatos ſuos in append. Cõc. p. 219.

Gręcorum aduentus.

Eugeni⁹ Amedeum de Gręcorũ appulſu, & in-

Euge-

ct.one Ferrieſis Cōlij certiorem facit.

Eugenius, &c. Dudū tuæ Nobilitati notiſſimū eſſe credimus cum ſæpenumero antea, & ad extremum in Menſe Maij præterito Græcorum oratores ad nos veniſſent, ſeq; ad ſanctiſſimam, optatiſſimamq; vnionem nobiſcum paratos eſſe profiterentur, poſt multa fuimus ab eis magna cum inſtantia requiſiti. vt rem iſtam deſeri non pateremur. Quin potius opera, & diligentia noſtra ad optatum finem perduci curaremus. Aſſerebant omnes, qui quæſiuerant eos in Auinionem perducere, potius mortem eorum, quàm Eccleſiæ vnionem quærere, cumq; nos hoc tantæ neceſſitatis articulo conſtringi videremur, neq; alium modum ad eam ſanctiſſimam vnionem conſequendam nobis ſupereſſe apertiſſimè cerneremus, eorum petitionibus libenter annuimus, Galeasq; & alia neceſſaria parare iuſſimus, licet cum magnis laboribus, & impenſis, easq; Galeas cum oratoribus noſtris, vnà cum oratoribus tunc Baſileenſis Concilij; & alijs requiſitis Conſtantinopolim miſimus. fiduciam habentes in domino, vt ſanctiſſimum opus, quod noſtris mentibus inſpirauerat bono, & felici fine concluderet, neq; ipſo Deo miſerante deſtituti ſumus ſpe, & deſiderio noſtro. Nam, quod ad tuā conſolationem ſcribimus, die octaua præſentis menſis Cariſſimus in Christo filius noſter Ioannes Imperator Græcorum, & Venerabilis frater Ioſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus cum magna Prælatorum, Nobilium, & aliorum Græcorum multitudine, ac Armeniorum Procuratoribus, cum Galeis prædictis Portum Venetiarum applicuerunt, Venturi quam primum ad hoc ſacrum æcumenicum Ferrarienſe Concilium. Quæ ad cōſolationem tuam ſignificauimus, quem veluti fideliſſimum Principem non dubitamus plurimum gaudij ſuſcepturum. Ecce manus Domini magnificata eſt in virtute, adduxit enim ad nos filios

no-

noſtros per multa annorum ſpatia à nobis ante diuiſos, vt vna mentium fide, vna pietatis actione nobis cum conueniant, exultent, epulẽtur, & delectẽtur in lætitia, parati ſumus illos tota mentis alacritate ſuſcipere, cum illis ad conſequendam huiuſmodi vnionem omni ſtudio, omni induſtria, omnibus denique viribus laborare, nec quicquam nobis poſſibile prætermittere, quo minus tam diuinum opus debitum ſortiatur effectum. In qua re operas, & fauores tuos plurimum adiumenti ſperamus allaturos. Quare exulta in domino dilecte fili, illiq; nobiſcum offeras hoſtias iubilationis, & laudis, qui fecit nobiſcum miſericordiam ſuam accingere deniq; Princeps inclyte, vt hoc ſanctiſſimum opus orationibus, eleemoſynis, & ieiunijs iuues, Deinde per tuos oratores ad hoc ſacrum Concilium œcumenicum quàm primum tranſmittendos, & alios prout prudentiæ tuæ melius videbitur, opportunis fauoribus, & auxilijs aſſiſtas. Conuertentur enim ad te inferiorum oculi, præſertim fidelium tibi ſubditorum, putabuntq; omnes ſibi faciendum eſſe, quod à tua nobilitate fieri videbunt. Ipſi quoque Græci ex iſtis tuis facinoribus, hac tua aſſiſtentia, & obſeruatione ſedis Apoſtolicæ quid honoris, obedientiæ, & deuotionis eidem debeant ſedi, exemplum accipient, ſicque operatio tua erit magiſtra publicæ diſciplinæ, & multorum ſalute lucrum facies animæ tuæ. Enim vero dilecte fili nihil virtuti tuæ accommodatius, nihil progenitorum tuorum geſtis conuenientius in præſentiarum poteſt accedere, nihil ſolio gloriæ Principatus tui dignius, quàm vt tantorum bonorum particeps ſius, & ſis inter primos virtute, meritis, & exemplis: nihil ergo eſt reliquum, quàm vt quæ ſupra præmiſimus exequaris: ad quæ licet ipſa te animi tui magnitudo impellat, tamẽ ne noſtrum deſit officium, ſi quid

ad-

adijcere poteſt adhortatio noſtra, te hortamur per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, qui inter Principes terræ magnũ te fecit, vt ea omnia parato, ac volenti animo intendas, quẽadmodum de tua fide, bonitate, caritate, & virtute præcipuam in domino fiduciã obtinemus. Datum Ferrariæ an. 1437. 4. id Febr. Pont. an. 7.

XXVII. Baſileenſes Eugenio diẽ dicunt.

Actum de ſuis rebus exiſtimabant Baſileenſes, ſi Concilium Ferrariæ procederet: nullũ igitur non lapidem mouerunt, vt Græcos auerterent, omnibusq; Chriſti fidelibus ſchiſmatis terrorem inijcerent, & afferebantur quotidie ex Italia rumores noui, quibus Eugenij fama non modicè onerabatur. Vnguem in vlcere non pono, hoc dico, perſuaſum fuiſſe quam plurimis ſeu inſcitia, ſeu arte maleuolorum, non niſi cũ Chriſtiani nominis opprobrio Romanam ſedem ab Eugenio inſideri; non iniquum modo illum in alios, ſed in ſe ipſum quoque, qui pro libidine facta ſua infecta vellet, & quam dederat fidẽ de nondiſturbanda Baſileenſium congregatione, nulla Sacramenti Religione reſcinderet. Hæc, & id genus alia paſſim iactata, offenſionum auidi, lętis auribus; Modeſti, inuitis, ſed tamen credulis excipiebant, atq; vt priſtinas iras reuoluentibus prona eſt vindictæ cupiditas, facile fuit ſopitos ignes exſuſcitare, lata in Pontificem ſententia, qua dies illi diceretur, decretis velut in contumacem pœnis, ſi intercederet.

Seſſio. 16.

XXVIII. Eugeni⁹ hortatur Amedeũ, vt Ferrariẽſi Cõcilio adhęreat

Occalluerat ad has minas Eugenius, ſeu factorum conſcientia, ſeu partium ſtudijs ſecurus. Illis igitur pro autoritate increpitis, Principes Chriſtianos certiores de tota re facere pergebat, Sed Amedeũ (cuius

Digitized by Google

(cuius autoritas per eã tempora ſuffragij prærogatiuam fere apud omnes obtinebat) ante alios, cui ſua omnia aperire ꝓ veteri amicitia cõſueuerat. *Iam intelligis* (ait, expoſitis Baſileenſium atrocibus minis) *dilecte fili quid egerimus, quidque illi moliti ſint, & moliãtur in dies. Opus enim iuſti ad vitam, fructus autem impij ad peccatum, præſtolatio impiorum furor. Ingredere igitur (te per viſcera miſericordiæ Dei hortamur) vt bonus operarius in agrum Dominicum, & quemadmodum maiores tui, Eccleſiæ Dei, & Apoſtolicæ ſedis quieti, paci, & vnitati, conſilijs, & auxilijs, etiam perſonis proprijs aſtiterunt, ac fidem Catholicam longis finibus, & limitibus ampliare adiuuerunt, exterminantes etiam gladio ſæuiſsimos hoſtes, qui illius gloriam obtenebrare conati ſunt: Ita & te ad has neceſsitates felicibus auſpicijs ſeruatum eſſe oſtendas, vt in tempore opportuno tua Protectione, tua cura, tua opera defenſentur, quantum tui animi magnitudo. grauitas, & ſapientia viderint expedire, ne homines temerarij Populos debiles, & infirmos terrendo, & ſeducendo corrumpant. Quod cum feceris, & per ipſam rem Iuſtitia, & tuis dignis exẽplis reliqui in hoc Dei opere cõtra ſeditioſos ipſos facile præualebunt, quia non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas. Circa quæ commiſimus aliqua venerabili fratri Epiſcopo Cauallicenſi Nuntio noſtro tibi referenda, cui velit tua Celſitudo fidem credulitatis plenariã adhibere. Datum Ferrariæ ann. 1437. 15. Kal. Mart. Pont. 7.*

Sabaudi Principes fidei propagãda ſtudioſiſſimi.

Amedei autoritas.

XXIX. Eugeni' Ludouico in eundem ſenſum ſcribit.

Addidit Eugenius alias ad Ludouicum Principem per honorificas, in quibus præter cætera hæc habentur. *Præterea quamquam ſcimus Dilectum filium nobilem*

virum Amedeum Ducem Sabaudiæ ad incremẽtum fidei, noſtrũ, ac Eccleſiæ Romanæ ſtatum ſincera voluntate diſpoſitũ, & ſuperuacuũ eſſe ſuã SERENITATEM hortationibus incitare, tamen magnitudo rei poſtulat, vt etiam à ſuperuacuis hortationibus non deſiſtamus. Propterea filialem tuam deuotionem requirimus, & hortamur in domino: vt dictum Ducem ad hoc ardentem, tuis ſuaſionibus ardẽtiorem efficere ſtudeas, vt in hac naſcenti perturbatione Eccleſiæ reminiſcatur, & ea efficere ſtudeat, vt ſecum in deuotione, & fide certet, & ſeipſum ſuperare conetur. Quibus in rebus Præfatus Dux, ac tua nobilitas nihil Deo gratius, fidei, & Eccleſiæ ſalutarius, nobis acceptius, & ſuæ Celſitudini, & tibi conuenientius efficere poteſt, & ob id dictam ſedem, & nos plurimum obligatos efficietis, &c.

Amedei pietas erga ſedẽ Apoſt. commendatur.

Eadem Cõiliarijs ſcripta.

Quin, & ad ipſos Amedei Conſiliarios eiuſdem argumenti epiſtolam Pontifex eodem tempore ſcribẽdam duxit, cuius initium ſic habet, *Eugenius, &c. Venerabilibus fratribus, & dilectis filijs Conſilio dilecti filij nobilis Viri Amedei Ducis Sabaudiæ ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem, &c.* cætera ferè, vt in ſuperiori.

XXX. Turbę inualeſcunt.

Cogitauerat Eugenius conciliatis ſibi Græcis, Reges, & Principes Chriſtianos facile Ferrariam ſuos Oratores miſſuros, vt in partem eius gloriæ venirent, quæ ex Orientalis ſchiſmatis extinctione redibat, ſed ea erat Concilij renitentis auctoritas, quæ multos ſibi coniunctos detineret, multos anxietate diſtraheret, pleroſque omnes à Pontifice abſterreret, itaut quam principio anni poſſe inchoari ſynodum crediderat, vix fine habuerit initium: graſſantibus autem inter partes odijs, valuere, qui Baſileæ maiori-

ioribus auſis promptiores, & zelo magis, quàm ex vſu præſenti, pridie kal. Aug. Monitorio edito; rurſum Eugenio comminati ſunt, in quo de multis, ijſq; grauiſſimis criminibus poſtulabatur: & quia ſeſſione quarta decreuerant, vt Pontifex à creandis Cardinalibus pendente Concilio abſtineret, eique decreto non à Præſidibus modo Concilij, ſed ab ipſo quoque Eugenio auctoritas acceſſerat; alio decreto 6. kal. Octob. edito Baſileenſes purpura illos exuerunt, quos poſtea ab eodem Pontifice ea donatos intellexerant. Quo ipſo tempore Eugenius nouo reſcripto Ferrarienſe Concilium indixit, Baſileenſe diſſoluit, acta eius omnia deinceps irrita eſſe iuſſit, exceptis ijs, quæ ad Bohemos pertinerent, ſuiſq; literis, cum alios Principes Chriſtianos, tum Amedeum noſtrum denuò hortari inſtitit, vt in ſuas partes tranſirent, miſſo ad ſingulos illius Bullæ exemplari, qua Baſileenſium conuentũ abrogabat, quam quia Colonienſes ediderunt, nõ repeto. Quas autem Amedeo inſcripſit, ſic habent.

Seſſio.26.

Seſſio.27.

In Apend. Cõc.pag. 215.

XXXI. Iterum Eugenius Ferrarienſe Cõcilium ſuadet.

Cum Baſileenſe Concilium ad Ciuitatem Ferrarienſem pro œcumenico Concilio ibidem celebrando, tam propter Occidentalis, & Orientalis Eccleſiarum vnitatem, quàm reformationem Eccleſiæ, ac pacem Chriſtiani Populi totis viribus Deo auctore procurandis, ac alijs iuſtis cauſis trãſtulerimus, prout tua Celſa nobilitas per copiam præſentibus introcluſam latius videre poterit, tibi tamquam noſtro, & Romanæ Eccleſiæ filio inter cæteros Catholicos Principes cariſſimo, huiuſmodi trãslationem ſignificandam eſſe duximus: Eandem tuam nobilitatem enixe rogantes, ac in Domino exhortantes, vt cum per Dei gratiam ſperemus,

imo certi reddamur, quod Cariſsimus in Chriſto filius noſter Ioannes Romæorum Imperator Illuſtris, ac venerabilis frater noſter Poſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus, cum magna Prælatorum Græcorum multitudine, pro quibus cõducendis Galeas, & cæteras alias res opportunas, atque inter nos conuentas miſimus, circa Kalendas menſis Nouẽbris proxime futuri ad præfatum Concilium proculdubio venturi ſint, tuos Oratores, iuxta rei huius magnitudinem ſufficiens mandatum habentes, ad ipſum œcumenicum Cõcilium, & hanc Dei cauſam, quæ cæteris rebus præponenda eſt, quàm primùm poteris tranſmittere velis. Et inſuper Prælatos in tuo dominio, & territorio exiſtentes exemptos, & non exemptos, qui de iure, ſiue antiqua conſuetudine ad generalia Concilia accedere tenentur, hortari, atque requirere velis, vt quàm celerrimè poterunt ad dictum Conciliũ veniant, vt in eo, Spiritus ſancti gratia ſuffragante, per tuorum aſsiſtentiam, ac ſapientiam, ac aliorum Catholicorum Principum, ac Prælatorum, ea Deo propitio tractẽtur, & agantur, quæ ad ipſius Dei laudem cedant, fidei Catholicæ incrementum, Pacem Chriſtianorum, & exaltationem Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Datum Bononiæ, an. 1437. 12. Kal. Octob. Pontif. ann. 7.

XXXII. Ferrariâ Florentiã transfertur Concilium.

Conuenerant iam pridem Baſileam omnes Prælati Sabaudienſes, neque integrum erat Amedeo illos reuocare; maximè cum è Gallia nulli in Italiam cõmearent, vnus igitur Aymericus Antiſtes Montis Regalenſis non inuito Amedeo Ferrariam tenuit, reliqui Baſileæ conſederunt, verito Duce conſcientijs ipſorum vim inferre. Interea Ferrariæ peſtis ſæuire, adeoq; inualeſcere, vt alia Concilio ſedes fuerit deligenda. Florentiam Eugenius maximè

mè omnium ex vſu ſuo eſſe duxit. Eò igitur cum migraſſet, nihil antiquius habuit, quàm ſua cum Amedeo noſtro participare conſilia, ipſo enim quo Ciuitatem ingreſſus eſt die, has ad eũ literas dedit. *Cum variæ nobis, multiplicesq; ſemper hactenus incubuerint ſollicitudines ad commiſſum deſuper officium paſtoralis curæ gregis dominici debitæ exequendum, & omni ex parte laudabilis ſollicitudo eſt viſa circa rem vnionis Orientalis Eccleſiæ cum eccleſia Occidentali, quæ Dei miſeratione noſtris temporibus oblata eſt: Ad quam tractandam, vt dudum iam feliciter cæpimus vnionem, ac ipſo domino, & Deo noſtro propitio obtinendam totis animi, & corporis viribus properamus; Et licet multos hactenus in ea re perpeſſi fuerimus labores, pluribus tamen anteactis menſibus, immixta laboribus ipſis multa, ob ſuperuenientem in Ciuitate Ferrarienſi peſtem, ſubijmus etiam mortis pericula, quam vigentem, & continuò inualeſcentem multis, ac pene omnibus in eodem loco pro œcumenico Concilio exiſtentibus, & locum etiam propter hoc deſiderantibus, ea ratione declinare ſuperſedimus, vt ſi forte per hyemis aduentum, vt veriſimile erat, ea ceſſaret peſtis, inchoatam huiuſmodi vnionem Orientalis Eccleſiæ, in loco vbi cæpta fuerat ad optatum finem perduceremus: cum vero ea peſtis per ipſam hyemem, vt antea perſeueraret, nulliq; à modo dubium videretur quin per ver, & æſtatem continuò perſeueraret, ne tantum, & diebus noſtris incomparabile ex huiuſmodi morbo peſtis intercipi, aut aliquo modo turbari poſſet, & liberum eſſet omnibus pro Dei gloria in hoc ſacro œcumenico Concilio in nomine Domini Sabaoth celebrandi nobiſcum vtriuſque Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ, accedente conſenſu, dictum œcumenicum Concilium, prout ex copia*

Eugenij literæ ad Amedeum.

tran-

tranſlationis, quam hic mittimus introcluſam videre poteris, tranſtulimus ad Ciuitatem Florentinam, locum quidem ad id idoneum, & ſemper alias, quoties de ipſo futuro Concilio tractatum fuit, nominatum, tanquam omnibus nationibus, & populis, vt audiebamus valdè gratum. Ea autē translatione facta, & cedulis de noſtro, & Romanæ Curiæ deſcenſu ex more publico in locis affixis, iter ingreſſi, tandem Duce Domino, ipſam Florētinam Ciuitatem præſenti die applicuimus, vbi magna cum Cleri, & Populi alacritate ſuſcepti fuimus. Quod tuæ Celſitudini ad gaudium facimus notum, eandē in Domino exhortantes, &c. ferè totidem verbis, vt in proximè ſuperioribus. *Datum Florentiæ An.* 1438. 6. *Kal. Febr. Pont. an.* 8.

XXXIII. Baſileenſes Conciliū ab Eugenio indictū dānāt. *Seſſio.* 28. *Seſſio.* 29.

Exaſperabant iſta vehementius Baſileenſes, qui kalendis Octobris anni ſuperioris Eugenium publicè contumacem pronuntiarant, & poſt aliquot dies Ferrarienſe Concilium ab eo indictum damnarāt, multa Pontifici atrocia obijcientes, ac præſertim violatam fidem; quod cum ante aliquot annos *declaraßet, & iuraßet ſe deinceps à nouitatibus, & grauaminibus, ſeu præiudicijs inferendis huic Sacro Concilio, aut ſuppoſitis eius, & adhærentibus eidem realiter effectu deſtitutorum*, idē tamen Concilium diſſoluere tentaret. Hæc, aliaq; id genus ſæpè retractata, adeo incenderunt animos eorum, qui Baſileæ remanſerāt (ſeceſſerant enim Cardinales omnes, vno excepto Arelatenſi) vt quo tempore Eugenius Florentiam cogitabat, ei ab omni vſu, & adminiſtratione Pontificię dignitatis interdicere non ſint veriti. Deſcribam hoc loco decretum ab ijs editum 9. Kal. Febr. anni 1439. prout in eiuſdem Concilij actis habetur,

Eiq; adminiſtrationi interdicunt.

tur,

tur, vt ex eo prudens Lector conijciat, quibus fluctibus fidelium mentes id temporis agitarentur, maximè in illis partibus, vbi vix erat, qui pro Eugenio loqueretur, & paſſim per omnium ora volitarent, quæ ſequenti ſcripto continentur.

XXXIV. Decretũ de ſuſpenſione D. Eugenij Papæ iv.

Sacroſancta generalis Synodus Baſileenſis in Spiritu ſancto legitimè congregata vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam. Audiuit omnis Eccleſia iam à plurimo tempore, quo pacto hæc ſancta Synodus inter cætera ob reformationem ipſius Eccleſiæ Dei in capite, & in membris ſpecialiter congregata, cum ſua decreta ſalubria paſſim contemni proſpiceret, abuſuumq; deformitatem continuari, atque etiam plus ſolito inualeſcere in Diuinæ Maieſtatis offenſam, & vniuerſi ſacerdotij, atque totius Chriſtianæ Religionis ruinam miſerabilem, videretq; periculoſiſſimum ſchiſma per erectionem alterius prætenti Concilij, iſto durante, & alia plurima ſcandala imminere Populo Dei, & vniuerſo orbi perturbationem non modicam, ex reſiſtentia, quam aduerſus debitam reformationem Eccleſiæ, & ſalubri huius ſanctæ Synodi opera, Dominus Eugenius Papa Quartus diuiſionem aſſiduam fouendo, & libitum propriæ voluntatis, decretis, & ordinationibus Synodalibus præferendo, præſtare videbatur, im pulſa eſt poſt longam plurimorũ annorum expectationem, ſuper regimine Eccleſiaſtico ſalubrem prouiſionem quærere, & ipſum Dominum Eugenium inducere, vt ea, quæ ſaluti ſui ipſius, & vniuerſæ Eccleſiæ congruebant, in tantis tamque vrgentibus neceſſitatibus agere curaret, cùm hoc ipſum eidem ſanctæ Synodo maximè liceret, atque incũberet, ex ea auctoritate, quam à Chriſto imm[illegible] accepit, cui vniuerſi fideles cuiuſcumque ſtatus, etiamſi Papalis

lis exiſtant, obedire tenentur in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in capite, & in membris, veluti determinatio vniuerſalis Eccleſiæ in ſacris ſcripturis fundata, & in celeberrimo Concilio Conſtantienſi promulgata, diffiniuit; adijciens, quòd quicunque contumaciter ipſi vniuerſali Concilio obedire cõtempſerit in prædictis, & pertinentibus ad ea, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur, ad alia iuris remedia, ſi opus fuerit, recurrendo. Et tandem pridie Kal. menſis Auguſti nouiſſimè præteriti, decreuit hæc ſancta Synodus, terminum ſexaginta dierum peremptoriè præfigere, infra quem præfatus Dominus Eugenius coram eadem Synodo per ſe, vel per alium compareret, ſi qua ſuper prædictis, & alijs in dicto monitorio expreſſis, cæteriſq; in futurum proponendis, quæ tunc non ſine rationabili cauſa tacebantur, pro ſui excuſatione, vel defenſione duceret proponenda. Quo termino elapſo, ſiue dictus Dominus Eugenius compareret, ſiue non, hæc ſancta Synodus ad vlteriora procedere decreuit, cognoſcendo, & terminando, prout Eccleſiæ Sanctæ Dei, Spiritu ſancto dictante, videretur expedire. Sed (quòd cum dolore referimus) ipſe Dominus Eugenius infra aſſignatum terminum, neque per ſe, neque per alium comparere voluit, aut minimam excuſationem, ſi quam haberet, tranſmittere: imo correctionem effugere volens, diſſolutionem, translationemque Concilij, quam de iure non poterat, de facto, pendente termino, attẽtauit: cum tamen iam altera vice diſſolutionem huius Cõcilij per eum attentatam, reuocaſſet, declarans eam irritã, & inanem, dicenſq; ipſum Concilium pro reformatione Eccleſiæ in Capite, & in membris legitime inchoatum, continuatum fuiſſe, & proſecutionem habere debere, perinde,

ac ſi

'eſſio. 4. & 5.

Ieſſio. 26.

Seſſio. 16.

ac ſi nulla diſſolutio facta fuiſſet. Quibus attentis, elapſo dictæ citationis termino, ſuam contumaciam in publica ſeſſione promotores, & procurator fiſcalis huius ſacri Concilij accuſarunt. Exigenteq́; iuſtitia, hæc ſancta Synodus in eadem ſeſſione contumaciam ipſam Domini Eugenij ſufficienter accuſatam declarauit, ipſumq́; contumacem reputauit, decernens, eius abſentia non obſtante, ad vlteriora procedendum fore, prout ipſi ſanctæ Synodo videretur; conſideratis neceſſitatibus, & vtilitatibus vniuerſalis Eccleſiæ. Et quamquam attenta contumaciæ magnitudine, eadem ſancta Synodus abſque vlteriori expectatione in ea re procedere potuiſſet, volens tamen nihilominus cum omni manſuetudine, & benignitate procedere, ad inſtantiam inclitæ memoriæ Sigiſmundi Imperatoris Romanorum, & venerabilium Archiepiſcoporum, cæterorumq́; Illuſtrium Principum electorum ſacri Imperij, per ſexaginta dies adhuc cenſuit differendum, vt per huius ſanctæ Synodi patiẽtiam probaretur, ſi ipſius Domini Eugenij animus ad ſalutem ſui ipſius, & vniuerſalis Eccleſiæ inclinari vellet. Confeſtim autem plenius innotuerunt ea, quæ aduerſus hanc ſanctam Synodum, & eius ſuppoſita, in prætenſa diſſolutione iam attentata, ipſe Dominus Eugenius perpetrauerat, transferendo hoc ſacrum Concilium in Ciuitatem Ferrarienſem, ſi contra ipſum, aut aliquem Oratorum ſuorum vlterius procederetur. Et præcipiendo ſub pœnis, & cenſuris grauiſſimis, quas tamen inferre non poterat, ſuppoſitis huius ſacri Concilij, vt ab eo diſcederẽt: qua in re decreta ſanctæ Synodi Conſtantienſis, & iſtius manifeſtè violabat, transferendo Concilium pro libito voluntatis, præter conſenſum ipſius, ac etiam vſurpando auctoritatem ſupra ſanctam

Hæc, & id gen⁹ alia huius Synodi cautè legẽda sũt, ob multas grauiſſimas rõnes, qbus autoritas Papæ aſtruitur, quę his euertur.

Synodum, de reformatione Eccleſiæ in capite agentem, non rectè ſentiens (vt videbatur) de auctoritate ſacrorum Conciliorum, & determinationibus vniuerſalis Eccleſiæ fidem concernentibus, tàm in ipſo Conſtantienſi Concilio, quam in iſto promulgatis ſuper obedientia, quam Summi Pontifices Synodis vniuerſalibus exhibere tenentur, ac ēt ſchiſma introducens, & aliud Concilium iſto durante erigens, quod non fore Concilium, ſed conuenticulum ſchiſmaticorum, iam præcedentibus decretis fuerat declaratum, ad diſſolutionem Concilij iam ſemel per ipſum reuocatam, iterum redeundo, & ex modo diſſolutionis, ac pœnarum adiectionis, ſupra Concilium iuriſdictionem in facto reformationis aſsumendo, ſe non Concilio, ſed Concilium ſibi obedire teneri, factis ſuis proteſtando. Merebaturq; tantarum, tamq; grauium offenſarum in Eccleſiam Dei, & ſcandalum ipſius iam pluries attentatum, ac præiudicium fidei multitudo, vt illico in ipſum Dominum Eugenium iuſti iudicij ſequeretur vltio, pro ipſius, & vniuerſalis Eccleſiæ ſalute: ſed non immemor hæc ſancta Synodus maternæ pietatis, adhuc expectare voluit, ſi forte ipſe Dominus Eugenius à tanta inobediētia reſipiſcens, conuerteretur ad cor, euidentiſsimiſq; iuribus, & rationibus declarauit, hanc diſſolutionem, & translationem nullas penitus eſſe, nulliuſq; roboris, & momenti, cum omnibus inde ſecutis. Intermiſſa quoq; celeriori condignarum inflictione pœnarum, hæc ſancta Synodus eas dumtaxat pœnas aduerſus præfatum Dominum Eugenium tunc promulgare duxit, quæ aduerſus Romanos Pontifices ſacra generalia Concilia diſſoluere, & perturbare tentantes, ordinatæ fuerant: vt videlicet, niſi infra quatuor menſes à die diſſolutionis, &

tranſlationis per eum attentatarum, reſipiſceret cum ſatiſfactione reali, ab omni adminiſtratione Papali eſſet ipſo facto ſuſpenſus. Quæ quidem Papalis adminiſtratio ad generale Concilium deuolueretur. Et ſi hanc pœnam per duos mẽſes ſuſtineret animo indurato, poſt quatuor prædictos menſes contra ipſum vſque ad priuationẽ incluſiuè per Concilium generale procederetur. Quas pœnas hæc ſancta Synodus ipſum Dominum Eugenium, ſi non reſipiſceret cum ſatiſfactione reali (vt præmittitur) declarauit, & non ſolum declarauit, ſed etiam expreſsè decreuit incurſurum. Cum verò iam, & prior terminus ſexaginta dierũ indultorum poſt contumaciam accuſatam, & alius quatuor menſium poſt diem prætenſæ diſſolutionis, & tranſlationis huius Concilij per ipſum Dominum Eugenium attentatarum, elapſi ſint, & pendentibus ipſis dilationibus, nulla correctio, aut emendatio cõſpiciatur prouenìſſe, imo potius continuatio abuſuum, & deformitatum in offenſam Diuinæ Maieſtatis, & interitum animarum, rebellioq́;, & inobedientia Domini Eugenij aduerſus ſanctam Synodum vniuerſalem, & decreta ipſius, procuratio inſuper aſſidua erectionis illius prætenſi Concilij Ferrarienſis, per tranſmiſſionem literarum ad diuerſas regiones, & conuocationem plurimorũ ad idem Concilium, quod fore conuenticulum ſchiſmaticorum, iam declaratum commemorauimus. Ex quibus auctoritatis ſanctorum Conciliorum peſſundatio, & reformationis Eccleſiæ Dei extinctio, & inductio ſchiſmatis inauditi per erectionem alterius prætenſi Concilij, iſto durante Concilio, ac denique determinationum Eccleſiæ vniuerſalis paruipenſio, in læſionem irreparabilem Catholicæ Fidei ſequeretur, niſi diuina pietas ſuæ Eccleſiæ

in tantis languoribus ſubueniret. Urgetur tandem hæc ſancta Synodus, ne tanta mala diſſimulando aſſenſum illis præſtare videatur, ne facilitas veniæ, incentiuũ tribuat delinquendi, ſeu malè agendi, cùm leniora remedia non proficiunt, vtiliorem, & ſalubrem adhibere medicinam, atque poſt varias expectationes tandem ſaluti vniuerſalis Eccleſiæ prouidere, & ad ſuſpenſionem ipſius Domini Eugenij ab adminiſtratione Papali (quam pœnã ſacra Conſtantienſis Synodus Romanis Pontificibus in varijs caſibus cenſuit inferendam) procedere, alias pœnas duriores adhuc pro ſua manſuetudine differendo, vt ſaltem per compulſionem iuſtitiæ cum temperamento miſericordiæ, ipſius Romani Pontificis animus ad ea, quæ ſunt ſalutis, & pacis in reformationem debitam Eccleſiæ vniuerſalis, & animæ ſuæ, & totius populi Chriſtiani ſalutiferam ædificationem, ipſiusq; Eccleſiæ futuris temporibus pacificationem gratiſſimam, & auctoritatis ſacrorum Conciliorum conſeruationem valeat inclinari. In virtute igitur Omnipotentis Dei, in cuius nomine hæc ſancta Synodus congregata exiſtit, & à quo immediatè poteſtatẽ ſuper vniuerſos fideles cuiuſcumq; dignitatis, etiamſi Papalis exiſtant (vt præmiſſum eſt) accepit, eadem ſancta Synodus prædictum Dominum Eugenium Papam Quartum manifeſtum contumacem, & in aperta rebellione perſiſtentem, ac notoriè incorrigibiliterq; Eccleſiam Dei ſcandalizantem, omnibus præmiſſis tàm coniunctim, quàm diuiſim attentatis, ab omni adminiſtratione Papatus in ſpiritualibus, & temporalibus ſuſpendit, ac ſuſpenſum eſſe declarat, proceſſura tãdem ad vlteriora vſque ad ſententiam finalem incluſiuè, ſi opus fuerit ipſo Domino Eugenio non amplius vocato, prout

Hæc oĩa irrito conatu attentata Cõcil. Later. declarauit.
[illegible]

to, prout vtilitati, & neceſſitati Eccleſiæ Spiritu ſancto dictante conſpexerit expedire. Omnem autem ipſius Papatus adminiſtrationem in his omnibus, quæ in Spiritualibus, & temporalibus, ad ſolum Papam, & Sedem Apoſtolicam de iure pertinere noſcuntur, eadem ſancta Synodus ad ſeipſam decernit, ac declarat eſſe deuolutam, ne propter gubernationis defectum, Eccleſia interim varia diſcrimina pati poſſit, decernens irritum, & inane quidquid durante hac ſuſpenſione, per ipſum Dominum Eugenium ratione Papatus factum fuerit, vel attentatū. Omnes quoque Reges, Principes, Communitates, & alios cuiuſcunque ſtatus, & dignitatis exiſtant hæc ſancta Synodus monet, & requirit, & eiſdem in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub Diuini obteſtatione iudicij mandat, Eccleſiaſticis verò perſonis quacumque dignitate, etiamſi Cardinalatus, Patriarchali, aut Pontificali præfulgeant, ſub pœnis, quas ipſo facto incurrant excommunicationis, & ſuſpenſionis ab omnibus dignitatibus, & beneficijs, & officijs, quocunque nomine nuncupentur, etiamſi forent Metropolitanæ, aut Cathedrales Eccleſiæ, ſiue in titulū, ſiue in commendam obtineant: Vicarijs autem Gubernatoribus, Vaſſallis, Feudatarijs, & ſubditis Romanæ Eccleſiæ, ſub pœna priuationis ipſo facto omnium Feudorū, & aliorum quorumcunq; iurium, & priuilegiorum, quæ ab ipſa Romana Eccleſia obtinent, diſtrictè præcipit, vt durante hac ſuſpenſione prætextu cuiuſcunq; iuramenti, ſubiectionis, aut promiſſæ fidelitatis, eidem Domino Eugenio nullatenus obediant. Ipſos quoq; ad iuramenta huiuſmodi, & promiſſiones durante ipſa ſuſpenſione, nullatenus aſtringi declaramus, ſed ad hoc ſacrum Concilium in omnibus recurrent, pro quibus ad Romanum Pontificē

recur-

recurrere ſoliti ſunt. Intendit enim hac ſancta Synodus mundè, iuſtè, ac ſanctè neceſſitatibus quorumcunq; prouidere, &c. Decernit autem hæc ſancta Synodus huius decreti publicationem in præſenti ſeſſione factam, eiusq; affixionem in valuis maioris Eccleſiæ Baſileenſis, vim habere monitionis, citationis, & executionis. & ita vniuerſos arctare, ac ſi perſonaliter comprehenſi, & eis intimatum fuiſſet. Datum in ſeſſione publica in Eccleſia maiori Baſileenſi ſolemniter celebrata, nono Kalendas Febr. anno à natiuitate Domini 1439.

XXXV. Quis plurimorũ ſuper hoc decreto ſenſus.

Nemo ſanè eſt, qui nunc non intelligat, quàm multa in hoc decreto contineantur, quę iure merito Cẽſuram Eccleſiæ paſſa ſint: Verùm quàm facilè nobis eſt ex euentis ſaniora Conſilia æſtimare, & virtutem Eugenij, quam non fefellit exitus honorare, tàm certè obſcurum erat illis temporibus, cui parti tutiùs eſſet adiungi, cum celeberrimæ toto Orbe Academiæ Pariſienſis, Colonienſis, & Louanienſis Concilij auctoritatem ſupra Pontificiam extollerent, & recens memoria Synodi Cõſtantienſis (quam vt ſacratiſſimam, & Eccleſiæ vtiliſſimam omnes venerabantur) Baſileenſibus, qui eius ſe nomine tuebantur, magnam æſtimationis acceſſionem faceret.

XXXVI. Græci recõciliantur in Concil. Florentino.

Quanquam aliundè ingens Eugenio accreſcebat fama ex rebus fœliciter cum Orientalibus geſtis: Eo enim auſpice non Græci modo errores ſuos exuerunt, ſed ipſi quoque Armeni miſſis Oratoribus in eandem fidei conſenſionem ſponte conceſſerunt, quod vtrunque duplici decreto teſtatus eſt Pontifex, altero prid. non. Iulij, altero 10. kal. Decem-

Extant inter acta Concilij Floren.

Decembris eiuſdem anni 1439. edito. Verùm, vt inſtitutum teneret Eugenius, de ſingulis Amedeũ certiorem facere nunquam omiſit. Poſtridie ſiquidem quàm decretum promulgarat, hanc ad eum ſcripſit Epiſtolam. *Eugenius, &c. Gloria in Altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, Iuuat dilecte fili in vocem exultationis erumpere, & geſtiente animo cum Angelis miſcere lætitiam, quandoquidem ineffabile gaudium, quod erit Chriſtiano populo nuntiamus. Tanto quippe mens noſtra diuinæ conſolationis rore perfunditur, ita exhilaratur cor noſtrum, vt quod ſentimus explicare nequaquam valeamus, ſolaque in gratiarum actione, & voce laudis requieſcat affectus noſter. Ecce enim quod ardentiſſimo ſtudio, & indefeſſa pietate olim, & longe antequã ad Pontificatus apicem aſſumeremur optauimus, Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ diuturnum pernicioſumq; diſſidium poſt quadringentos quinquaginta annos Diuina tandem miſeratione ſublatum eſt Qua in re licet omnem pro viribus diligentiam adhibuimus, quantum Dominus donare dignatus eſt, totum tamen infinitæ illius bonitati tribuimus, ſine cuius opere totum eſt inane, quod geritur. Namque ab ipſis noſtri Apoſtolatus initijs, omni ſtudio elaborauimus, vt vtriuſque Eccleſiæ vnio fæliciſſima ſequeretur, & poſt multas hinc inde miſſas legationes, aduenerunt ad nos anno præterito adducti, & hactenus ſuſtentati ſumptibus noſtris Cariſſimus in Chriſto filius noſter Ioannes Paleologus Romæorum Imperator Illuſtris, & bonæ memoriæ venerabilis frater noſter Ioſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Locumtenentes Alexandrini, Antiocheni, & Ieroſolymitani Patriarcharum, Legatiq; Trapezuntij Im-*

Epiſtola Eugenij ad Amedeum.

tij Imperatoris, Iberorum, Ruthenorum, & Valacorum, cum Metropolitanis, & Clericis, ac Nobilibus plurimis, & multitudine copioſa: Auidi quoque huius ſacratiſsimæ vnionis, laboribus plurimis, mariſque periculis ſeſe exponere nequaquam cunctati ſunt, ſacro œcumenico Cōcilio (quod intra Italiam, & vbi nos commodè intereſſe poſſemus fieri magna cum inſtantia poſtularunt) adeſſe cupientes. Aduenerunt autem ad diſputandum parati, ſine contentionis tamen vitio, aut pertinaciæ ſtudio. Nos itaque Diuini, humaniq; Iuris profeſſores omni ex parte congregare curauimus, qui cupientibus veritatem aperirent. Deoque largiente, poſtquam eis tàm ex ſcripturis Diuinis, quàm ex ſanctis Patribus Latinis pariter, & Græcis, veritas eſt per omnia patefacta, libentiſsimè conſenſerunt inuentæ veritati, Spiritumq; ſanctum ex Patre ſimul, & Filio procedere profeſsi ſunt, ſummamque Romanæ Eccleſiæ, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, quam improbè nimium quidam opprimere nituntur, gratè recognouerunt, atque in reliquis conſenſerunt, prout ex decreto inde confecto, quod his incluſum mittimus, tua Excellentia apertius diſcet. Audemus ſanè in Domino gloriari, atque confidentiſsimè dicere, id noſtra ætate peractum eſſe, quo nihil maius, nihilq; dignius ab ipſo Apoſtolicæ prædicationis tempore Catholica vidit Eccleſia. Neq; verò is erit finis diuinorum mirabilium, ſed diuinæ miſerationis latior campus aperitur, vt Sol ille iuſtitiæ, qui in Oriente iam ortus eſt, ad ipſas quoque infidelium tenebras radios ſuæ lucis extendat, fiatq; ſalus domui, atque ad extremum terræ, omneſq; vno ore, & vno ſpiritu glorificent Deum, & Patrem D. N. I. C. Expectantur ecce in dies cum noſtris Nuntijs ad id miſ-

ſis,

Digitized by Google

ſis, & iam pro foribus adeſſe nuntiantur Armenij, gens magna, & celebris, parati ſe per omnia Romanæ Eccleſiæ, & S. ſedi Apoſtolicæ ſubdere, eiuſq; mandatis, & doctrinis incunctanter obedire. Merito itaq; dilecte fili cum in re, iam tam multa, in ſpe, etiam plura teneamus, omnipotenti Deo hoſtiam contulimus Iubilationis, & laudis: Tibiq; iſta inſinuanda putauimus ut noſtrorũ in Domino gaudiorum particeps factus, diuinæ pietati nobiſcum gratias referas, hortamur, vt Chriſtianæ deuotionis affectu per tuum dominium letanias, Proceſsiones, orationesq; publicas fieri iubeas. Partim referendo gratias pro acceptis à Deo muneribus, partim orando, vt complere dignetur omnipotens ſuum opus, & barbaràs nationes in ſua feritate gloriantes, ſub ſacratiſsimæ Chriſtianæ fidei iugũ mittere. Et quoniam ſpes adeo læta ſeſe vndiq; aperit, pio monemus affectu, vt ad eripiendos ab infidelibus, à quibus indigniſſimè opprimuntur, illarum partium Chriſtianos nobiſcum animum intendas; Iam enim Deo inſpirante Claſſem, terreſtresq; copias proximo vere parare intendimus, ſperantes quod qui cæpit in nobis opus bonum, ipſe perficiet, ac per huiuſmodi noſtra ſtudia à iugo miſerabilis ſeruitutis Catholicum gregem propitius, ac benignus eripiet. Confidimus autem negotium facillimè, fœliciſsimeq; ſucceſſurum per tuam, reliquorumq; Chriſtianorum Principum opem, atque operam. Accingere itaq; fili, ardentiq; animo concurre ad hæc ſtudia pietatis, ex quibus, & in hoc ſæculo gloriam conſequeris, & in futuro cum Pijs, fidelibusq; Principibus, qui ab initio Deo placuerunt conſcribi merèberis: Nos enim te per alias litteras noſtras, & Nuntios requiremus, non ambigentes te nihil à tua, maiorumq; tuorum Pietate, ac

Nobilitate degeneraturum. Datum Flor. An. 1439. Non. Iul. Pont. an. 9.

XXXVII. Amedeus quid agat incertus.

Nondum hęc Amedeus acceperat, cum longè diuerſa Baſileenſi è cœtu allata animum eius haud vulgariter cruciabant; angebatur quippè non mediocriter ob diuerſa Baſileenſium ſtudia, & ſiniſtros rumores, qui de Pontifice tota Gallia, Germania, Hiſpania, & magna Italiæ parte inualeſcebant. Rarus erat in illis partibus, qui Eugenium defenderet. Atq; vt Pius II. in Retractatione ſua loquitur, *aduerſus Concilij dignitatem mutire aliquid, crimen Hæreſis fuit; Vna omnium vox Concilium Eugenio præferebat, de ſedis Apoſtolicæ præcellentia, aut ſilentium, aut contemptus, Concilium, Concilium cuncta ſonabant.* In hoc æſtu poſt varias cunctationes, tandem Baſileenſes 25. Iunij Eugenium Pontificatu lapſum his verbis declararunt.

Pius 2. in bulla Retract. ſua.

XXXVIII. Decretum [illegible] Eugenii ſeſſ. 34. Ob eius [illegible] irrita eſſe poſt [illegible] a le[illegible] Pō[illegible] Patr[illegible] authoritatem.

Sacroſancta generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans ad futuram rei memoriam.

Proſpexit Dominus de excelſo ſancto ſuo, de Cælo in terram adſpexit, vt audiret gemitus Eccleſiæ plorantis ſuper perditionibus animarum precioſo Ieſu Chriſti ſanguine redemptarum, & malis innumeris, quæ in Religionem Chriſtianam irruerunt. Et quoniam iuſtus eſt ipſe Dominus, & iuſtitias dilexit, in vnum hominem, per quem ſcandalum venit vniuerſo Orbi, & quo grauiter peccante, atque correctionem ſpernente, ira ſuper omnem populum venire videtur, iudiciũ facere diſpoſuit, per miniſterium Eccleſiæ ſuæ congregatæ in nomine ipſius Chriſti Saluatoris oĩum, qui ait: Vbicunq; fuerint duo vel tres cõgregati

gregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum, & qui de peccatore nolente Eccleſiam audire dixit: ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus. Eiuſdem quoque diuina prouidentia præuidens, reſiſtentias, & oppugnationes, quas aduerſus reformationem Dei Eccleſiæ, & auctoritatem ſacrorum generalium Conciliorum ipſam Eccleſiam repræſentantium, ac bonum publicum totius Religionis Chriſtianæ ſuſcitaturus erat in tempore ſuo Eugenius Papa Quartus, quantaq; ſcandala, diuiſiones, & ſchiſmata facturus in orbe, ſacram Synodum Conſtantienſem excitauit per Spiritum ſanctum, vt declarationem veritatis fidei Catholicæ toti orbi explicaret, dicentem, quod Concilium generale vniuerſalem Eccleſiam repræſentans poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcunq; dignitatis, etiã ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ in capite, & in membris. Item quod ſi quis cuiuſcunq; ſtatus, vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis, ſiue ordinationibus, aut præceptis ipſius Concilij generalis in prædictis, & pertinentibus ad ea contumaciter obedire contempſerit, niſi reſipuerit condignæ Pœnitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris ſubſidia (ſi opus fuerit) recurrendo. Qua ſi quidem declaratione viam parauit miſerator Dominus, per quam Eccleſia Dei in præfatum Eugenium multiplices exceſſus (qui adeo notorij ſunt, quod nulla tergiuerſatione celari poſſunt) perpetrantem, & contumaciter Eccleſiam audire, ac præceptis, ſtatutis, & ordinationibus Synodalibus obedire contemnentem, iuſtum iudicium ferre haberet, iuxta cuius veritatis de-

clarata diſpoſitionem, hæc ſancta Synodus Baſileenſis in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans; neceſſarium eſſe iudicans, vt cui pia non prodeſt correctio, debita non parcat abſciſſio, poſtquam in multa longanimitate, patientia, & manſuetudine poſt plures admonitiones expectauit eundem Eugenium, vt ſalutarem emendationem, & exceſſuum prædictorum correctionem efficeret, tandem cùm amplius differri non poſſit, quominus Catholicæ fidei, & ſaluti vniuerſæ Chriſtianæ religionis ſub auxilio Spiritus paracliti prouideatur, ne ex vlteriori protelatione iuſtitiæ, ſanguis pereuntium animarum de noſtris manibus requiratur, ſed cum diligentia ſalubre regimen gregi dominico præbeatur, vt poſtquàm veritas de terra militantis Eccleſiæ orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit, Deus ipſe donet benignitatem, & terra noſtra proferat fructum ſalutarem, oriaturq; ſimul noſtris diebus iuſtitia, & abundantia pacis: eadē ſancta Synodus pro tribunali ſedens, per hanc ſuam ſententiam diffinitiuam, quam fert in his ſcriptis, pronunciat, decernit, & declarat Gabrielem prius nominatum Eugenium Papam IV. fuiſſe, & eſſe notorium, & manifeſtum contumacem, mandatis, ſeu præceptis Eccleſiæ vniuerſalis inobedientem, & in aperta rebellione perſiſtentem, violatorē aſſiduum, atq; contemptorem ſacrorum Canonum Synodalium, pacis, & vnitatis Eccleſiæ Dei perturbatorem notorium, vniuerſalis Eccleſiæ ſcandalizatorem notorium, Simoniacum, periurum incorrigibilem, ſchiſmaticum, à fide deuium, pertinacem, hæreticum, dilapidatorem iurium, & bonorum Eccleſiæ, inutilē, ac damnoſum ad adminiſtrationem Rom. Pontificij, omni titulo, gradu, honore, & di-

Saniora de eo poſt reſipiſcentiā ſuā ipſimet Baſileenſes retulerunt.

Digitized by Google

& dignitate ſe reddidiſſe indignum. Quem propterea eadem ſancta Synodus à Papatu, & Romano Pontificio ipſo iure priuatum eſſe declarat, & pronunciat, ac ipſum ab iiſdem amouet, deponit, priuat, & abiicit, decernẽdo nihilominùs contra eundẽ ad executionem etiam aliarum iuris pœnarum, ad quas hæc eadem ſancta Synodus, hac eadem ſua ſententia ipſum condemnat vlterius fore procedendum. Ac eidem inhibet, ne deinceps pro Papa vel Romano Pontifice ſe quouis modo nominet, ſeu gerat, omnesq; Chriſticolas ab ipſius obedientia, fidelitate, ac iuramentis, & obligationibus eidem quomodolibet, præſtitis, abſoluit, & abſolutos eſſe declarat, ac omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus inhibet ſub pœnis fautorum ſchiſmatis, & hæreſis, ac priuationis omniũ beneficiorum, dignitatum, & bonorum eccleſiaſticorum, & mundanorum, & aliis pœnis iuris, etiam ſi Imperialis, Regalis, Cardinalatus, Patriarchalis, Archiepiſcopalis, aut Epiſcopalis dignitatis, aut etiam ſi Communitates, Vniuerſitates, & Collegia exiſtant; qui ſi contra inhibitionem fecerint, ſint authoritate huius decreti, ac ſententiæ ipſo facto priuati, & alias iuris incurrant pœnas, eidem Gabrieli notorio ſchiſmatico, periuro, hæretico, ſcandalizatori incorrigibili, pertinaci priuato, depoſito, amoto, & taliter declarato, tamquam Summo Pontifici obediant, pareant, vel intendant, aut eum quouis modo ſuſtineant, vel receptent, aut ſibi auxiliũ, conſilium, vel fauorem præſtent. Nec non pronunciat, decernit, & declarat eadem ſancta Synodus omnes, & ſingulos proceſſus, inhibitiones, ſententias, cenſuras, & conſtitutiones, ordinationes, & alia quæcunq; per eum, aut alios quoſcunq; factos, & facta, quæ poſſent præ

miſſis

miſſis obuiare, irritos, & inanes, ac irrita & inania, nulliuſq; fuiſſe, aut fore roboris, vel momenti. Datum in ſeſſione noſtra publica, in maiori Eccleſia Baſileenſi ſolemniter celebrata 7. Cal. Iulij Anno à Natiuitate Domini 1439.

XXXIX. Decreti ſuperioris iniquitas.

Audax ſanè facinus, & ab antiquis Eccleſiæ inſtitutis alienum; tametſi enim (vt Baſileenſes ſupponebant) alicuius culpæ reus fuiſſet Eugenius, meminiſſe debuerant quid olim ijs reſpondiſſet Ennodius, qui auſi fuerant à Theodorico Rege Arriano viſitatorem cõtra Symmachum Papam anno Domini quingenteſimo poſtulare:

Pontifex Sũmus nullius iudicio in terris ſubijcitur. *Can. aliorum 9.q.3.*

Aliorum hominum cauſas Deus voluit per homines terminare, ſed ſedis ipſius præſulis, ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio: Voluit Petri Apoſtoli ſucceſſores cælo tantum debere Innocentiam, & ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inuiolatam exhibere conſcientiam. Et rurſus. *Sanctorum patet voce Pontificum, dignitatem ſedis Romanæ factã toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium eſt vbiq; ſubmittitur, dum totius corporis caput eſſe deſignatur, de qua mihi videtur dictum per Prophetam. Si hæc humilietur, ad cuius confugietis auxilium, & vbi relinquetis gloriam veſtram.* Hinc celebris illa vox Patrum in Concilio Roma. 4.

Conc. Rom. 4.

Symmachus Papa Sedis Apoſtolicæ Præſul ab huiuſmodi oppoſitionibus impetitus, quantum ad homines reſpicit, ſit immunis, & liber, cuius cauſam totam Dei Iudicio reſeruamus.

XL. Quæ contra tunc tẽporis differerentur.

Hæc quamquam veriſſima ſint, non deerant tamen, qui alia omnia differerent: valuiſſe iſta aliquando in Eccleſia cum priuati Pontificum mores, aut corruptionem, aut calumniam paterentur: vt ne-

mini homini fas ſit in illos inquirere, at Eccleſiæ integrum ſemper fuiſſe inuigilare an in ijs, quæ ad fidem pertinerent, aut vacillarent ipſi, aut cæteris titubandi occaſionem præberent. Bonifacium Martyrẽ hoc vidiſſe cum diceret, *huius* (Papæ ſcilicet) *culpas iſthic redarguere præſumit mortalium nullus, quia cunctos ipſe iudicaturus, à nemine eſt iudicandus: niſi deprehendatur à fide deuius: pro cuius perpetuo ſtatu vniuerſitas fidelium tanto inſtantius orat, quanto ſuam ſalutem poſt Deum ex illius incolumitate animaduertit propenſius pendere*. Porrò ea, de quibus Eugenius inſimularetur ad fidem pertinere ex Decreti Conſtantienſis autoritate contendebant. Idemq; Decretum eſſe in Concilio Baſileenſi, & in adhæſione ab ipſomet Eugenio facta receptum, & iuratum: nunc igitur manifeſtè teneri ipſum, neq; ab hæreſis ſuſpicione abſolui poſſe occinebant. Etenim ſi decretum illud contra fidem erat, & ipſe à fide deuiarat, qui ſua illud autoritate confirmarat, ſin cum fide minimè pugnaret, legitimumq; decretum eſſet, qui ſe ab hęreſis macula purgaret, qui legitimo Eccleſiæ decreto parere recuſaret? Quod vel maximè vim habere Baſileenſes prædicabant, cum ſtatutis illis ab Apoſtolica Sede autoritas acceſſit, ac proinde Gregorium illum magnum huiuſmodi decreta non minus ſe quàm ſancta Euangelia rereri affirmare ſolitum. Nemini verò dubium eſſe quin, & illud Conſtantienſe à Martino Quinto, & nouum hoc Baſileenſe ab Eugenio fuerit confirmatum, ac proinde illi minime integrum ea mutare,

Can. Si Papa. diſtinc 46

Hęc paſſim Baſileenſes inculcant in reſponſionibus ſuis Synodalibus.

Negant tamen pleriq; Acta Cõcilij Conſtantienſis con-

mutare, idq; tentantē iure ſuſpectum in fide cenſendum pronuntiabant. Denique vt maiorem ſibi apud omnes fidem conciliarent hoc ſemper in ore habebant, & ſcriptis conſignabant. *Notum ſe facere vniuerſis Catholicis, quod nullum ſenſum in ſuis decretis, quæ Eugenius reprobat, haberent, nec habere vellent, niſi quem ſacra Synodus Conſtantienſis habuerit in declarationibus ſuis, quibus Papam Concilio ſubmiſit,* quarum declarationum vigore Ioannes 23. & Benedictus eſſent depoſiti, Martinus electus, & tot Cardinales, Prælati, & Sacerdotes creati; quorum creatio irrita magno cum Eccleſiæ damno cenſenda eſſet, ſi vitioſa Martini electio crederetur. *Quin ſi vitioſa Martini electio* (aiebat Iulianus Cardinalis Eugenium alloquens) *fuit, nec ſanctitas veſtra Papa erit, quæ per Cardinales ab illo factos electa eſt.*

...rmata, niſi ...uæ Marti...i v. electio...em ſequuta ...int. Quæ ...erò circa ...rimas ſeſſio...es Baſileē...s Concilij ...eclarauit ...Eugenius, ...ræterquam ...uod vi ex...reſſa vide...i poſſunt, ...ō ſatis ma...ifeſtam cō...irmationem ...abent. *Concil. Baſ. ſeſſ.* 38.

Iulian. in Epiſt. ad Eugen. ad quē tamen iā his temporibus tranſierat.

XLI. Motus animorū varij.

Hæc aliaque innumera toto Chriſtiano orbe iactabant Baſileenſes, quibus non de vulgo tantum homines, ſed doctiſſimi quique, ac integerrimi haud parum percellebantur. Hinc illi animorum motus, & ingens tota Eccleſia trepidatio, multis in dies ab Eugenio deficientibus, pleriſq; omnibus, qui modeſtiores videri optabant, neque Concilio auſcultantibus, neq; Eugenio accedentibus, cunctis incerta expectatione ſuſpenſis. Amedeus, vt in hoc ancipiti rerum ſtatu conſcientiæ conſuleret ſuæ, eo vtebatur tēperamento, vt dum ſe melior dies aperiret, apud vtroſque Oratores ſuos haberet; ne quid tamen labis vlla ex parte ſibi aſpergi ſineret, hac proteſtatione

Digitized by Google

ſtatione ſtatim edita cauendum eſſe duxit.

In nomine Domini Amen. huius publici inſtrumenti tenore cunctis appareat euidenter, & ſit notum. Quod anno Domini 1439. Indictione 2. die vero vigeſimo menſis Iulij, exiſtente, & perſonaliter conſtituto Illuſtriſſimo Principe Domino noſtro Domino Amedeo Sabaudiæ Duce &c. Coram Reuerēdo in Chriſto Patre D. Ioanne de Grolea Apoſtolico Protonotario, Præpoſito Montis Iouis velut authentica perſona, Ripalliæ in Camera Cubiculari ipſius Domini noſtri Ducis. Ipſe enim Illuſtriſſimus Dominus noſter Dux Sabaudiæ animaduertēs circa varietates, & alias multiplices differentias, & contrarietates præſentialiter exiſtentes inter D. Eugenium Papam, & ſacrum Baſileenſe Concilium, in præſentia duorum teſtium, ac mei Notarij, ac Secretarij ſubſcriptorum; Proteſtatus eſt, & tenore huius inſtrumenti profitetur, Quod ſi forſan eius procuratores, Ambaſciatores, vel alij nuntij, tam in curia Romana, quàm in dicto ſacro Baſileenſi Concilio, vel alibi per eum deſtinati, & deſtinandi quicquam eius nomine comparuerint, dixerint, fecerint; aut peregerint, aut in futurum comparerent, facerent, dicerent, ſeu alias quouiſmodo peragerent, quod à vera obedientia, & debito Catholicæ, & vniuerſalis Eccleſiæ quomodolibet deuiaret, quod abſit, vel quæ forte, in poſterum ipſi D. noſtro Duci aliter præiudicare, ſeu impingi, vel imputari poſſent, eiuſq; honori, conſcientiæ, aut debito; Illa ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc ſicuti verus Princeps Catholicus, & obediens Eccleſiæ filius non admittit, nec illis annuit, ſed potius denegat, & penitus contradicit, de quibus præmiſſis omnibus, & ſingulis ipſe Dominus noſter

XLII. Amedeus proteſtatione facta ſibi cauet.

Digitized by Google

petijt à me Notario, & Secretario ſubſcripto ibidem præſente fieri unum, & plura tenoris eiuſdem publica inſtrumenta, quæ iugiter poſsint, & valeant dictari, corrigi, augeri, & minui dictamine ſapientum, facti tamen ſubſtantia in aliquo non mutata. Acta fuerunt hæc die, loco, & indictione ſupraſcriptis præſentibus ſpectabili Domino Claudio de Saxo milite D. Rauoyriæ, & D. Bolomeij, D. Neriaci Conſiliarijs D. noſtri Ducis teſtibus: ad hæc aſtantibus in cuius rei teſtimoniũ præfatus Dominus Præpoſitus ſigillum ſuum duxit apponendum &c.

XLIII. Baſileenſes Ioannẽ Engoliſmẽſem ad Pontificatũ vocant.

Interea Baſileæ conſultabant Patres per plures mẽſes quem Eugenio ſubrogarent, adeo diſtractis, & variantibus ſententijs, vt nullus contentionũ exitus eſſe videretur. Franci (quorum præcipua in eo cœtu erat autoritas) id agebant, autore Papyrio Maſſono, vt Ioannes Ludouici Aureliæ Ducis ex Valentina Inſubri maior filius, Comes Engoliſmæ, & Petra coriorum eligeretur. Pari ſtudio in id incumbebat Philippus Maria Mediolanenſium Dux Ioannis auunculus. *Datus hic erat* (ait idem autor) *obſes à fratre, Anglis anno* 1413. *cum nonum ætatis annum vix decurriſſet. Iuueniles tamen annos in illo velut carcere ſic religioſe cõſumpſit, vt de eo in Pontificem ſubrogando Baſileæ deliberatum ſit, propter heroicas virtutes, quibus eum affluere notiſſimum erat; & ſi fruſtra, quod Deus poſt annos exilij ſui triginta duos, longiq; carceris moleſtias in Anglia perpeſſas, vxorem ei, ac liberos, nepotesq;, ac pronepotes potentiſſimos, ac maximos deſtinaſſet, Franciſcum primum Galliæ Regem, eiuſq; filios. Huic autem Ioanni, & Carolo*

Papyr. Maſſon. in Eug. 4.

rolo

rolo filio eius, Aloyſiæq; Sabaudæ vxori quid acciderit mortuis, referre placet, ne id factum quod reuera maximè impium eſt, vlla vnquam deleat obliuio. Quieuerant vſque ad annũ 1562. Nam tunc Grandimontanus Caluinianæ ſeruiens ſectæ, eius generis copias Engoliſmam rapuit, vrbem Aquitaniæ ſecundæ ad Garantonum amnem Auſonij verſu celebrem: Ab illis immanitate barbaris imagines in templis ſunt dirutæ, & ornamenta, veſtesq; Sacerdotum in priuatos vſus, & caſtrenſes tunicas; ſepulcra etiam Principũ Regij nominis ſunt aperta, Ioannisq;, & Caroli filij, Aloyſiæq; mortuis cadauera reperta, ſed horum quidem aër vbi attigit, ſtatim in cineres abierunt: At Ioannis mirati ſunt integrum, & incorruptum permanſiſſe. Itaque vnus ex his Ioannes Ruffierus, qui ſe Flandrum Centurionem vocabat, Engoliſmæ natus, adacto in viſcera lato pugione, in Principem illum nefariè ſæuijt, naſumq; præſcidit: poſtea cæteri milites caput ei crudeli feritate ſecuerunt, relicto trunco in illa ſubterranea fornice, in qua funeratus olim fuerat. Triennio poſt Carolus Rex Chriſtianiſſimus, fraterque eius Henricus, vna cum Catharina matre in illum fornicem deſcenderunt Religionis cauſa, vt piè truncum illum venerarentur. Anno autem 1568. Vrbe à Caluinianis capta, truncus optimi, ſanctiſſimique olim Principis erutus è ſepulcro, ac militari ioco diu per templum, quod Petro dicatum eſt, brachijs tractus, modo pedibus raptatus. Denique ab impijs in fruſta conciſus eſt. De cuius eximijs virtutibus, pietate, vitæ inſtituto, ſanctitate, atque obitu depoſuerunt anno poſt mille quingentos decimo octauo coram Antonio Stanno Engoliſmenſi Epiſcopo teſtes ſeptuaginta omni exceptione maio-

Ioannis demortui corpus diu incorruptum.

Hæreticorũ immanitas.

res, & in depoſitione illorum, quæ apud me eſt, reperi deliberatum eſſe de Ioanne in Pontificem eligendo. Hæc Maſſonus, & ex eo, Sammarthani fratres in Ioannis Elogio. Quæ pluribus retuli, vt hinc Pogij, Blondi, aliorumq; artes retegantur, qui Baſileenſibus nihil aliud quàm quæſtum, & lucroſam nundinationem propoſitam fuiſſe calumniantur. Ego certè eorum, qui talem, tantumq; virum promouere ſtudebant, ſi cætera adfuiſſent, non niſi rectum, ſincerumq; propoſitum dicere poſſum: cum enim in eodem homine ſanctimoniam vitæ ſingularem, vna cum autoritate, & potentia prope Regia coniunctam viderent, ab illa, morum reformationẽ in Eccleſia (qui præcipuus erat Cõcilij ſcopus) ab hac, præſidium aduerſus impiorum conatus prouidebant, vt minus mirum videri debeat, ſi quam de Ioanne Gallo ſpem fruſtra cõceperant, in Amedeo, maximi vtique nominis Principe, deinceps collocarint.

Lib. 5. hiſtor. Geneal.

Quid in eo diligẽdo ſpectarent Baſileenſes.

XLIV. Ad Amedeum animũ conuertunt.

Sed hæc qua via, & ratione proceſſerint, non meis, ſed oculati vtique teſtis Aeneæ Syluij verbis hic recitabo, ſi prius ex eius Retractatione pauca præmiſero. Quam quidem Retractationem eo edidit conſilio, vt ea quæ contra Romani Pontificis Primatum, & autoritatem in ſuis opuſculis ſcripſerat, reuocaret, ſuaderetq; omnibus, vt Aenea reiecto, Pium audirent, nec priuatum hominem, quàm Pontificem pluris facerent. Cæterum vt ea damnat, quæ Catholicæ doctrinæ quoquomodo aduerſantia publici iuris fecerat, ita ijs, quæ ad hiſtoriam pertinent, fidem haberi poſſe declarat,

cum

cum diſertis verbis profitetur ſe veritatis fuiſſe ſtudioſiſſimum, neque odio, aut adulatione corruptum, *nihil* ait *mentiti ſumus, nihil ad gratiam, nihil ad odium retulimus*. Hunc igitur veritatis retinēdæ adeo ſtudioſū indagatorem audiamus, memores tamen illum tum de Eugenio male ſentiētem, nonnulla ſpargere, quorum deinceps illum pœnituit. Et erit operę pretium veteres Eccleſiæ ritus in conclauibus, vt vocant, cogendis agnoſcere, maximè cum facilè non ſit vſque adeo exactam celeberrimæ actionis deſcriptionem alio in autore reperire, ita vt Franciſcus Modius Pandectarum triumphalium acuratiſſimus Collector, huius Cōclauis formam, tamquam omnium, quas legiſſet, aut audiſſet perfectiſſimam Chriſtianæ Rep. ſpectandam dederit.

Poſtquā igitur placuiſſe patribus dixit Aeneas, vt qn̄ Cardinales deeſſent, q̃bus ius eligendi Pontificis pręcipuè cōpetit, tribus grauiſſimis Theologis delectus electorū committeretur, qui (ſicut in Conſtantienſi Cōcilio factum erat) ex quatuor præcipuis Nationibus viros eligerēt omni exceptione maiores, ex q̃bus Conclaue cōponeretur; Hi ergo, inq̄t Syluius, quarto Cal. Nouēb. ex iuſſu Concilij relaturi, quos legerant in congregationē venerunt, quo loci iam oēs, vt aiunt, incorporatorū cœtus confluxerant, nec illa die ex his, qui poterant, quiſquam defuit. Et quoniam nulli vnquā tres viri ſe aperuerant, quanto ſecretior res erat, tanto deſideratior omnibus videbatur. Confabulari autem omnes inuicem, multa de tribus viris

XLV. Electionis modus ex Syluij lib. 2. de Concil. Baſil. quem deſcripſit Frācíſ. Mod. in Pandectis Triumphal. Triūuiri legendis Electoribus deputati.

riſdicere, multa etiam de nominatione vaticinari, & alij iſtum, & alij illum electorem futurum contendere, & vt affectio, & veri ſimilitudo trahebat, quemq; ſic ratiocinari. Quia tamen nihil certi habebant, mira omnibus erat audiendi cupiditas. Et alij quidem feſtiuas induerant veſtes, alij ſeruitores nouos conduxerant, alij etiam domum amicis commendauerant; qui ſe futuros in numero electorum arbitrabātur: Fit enim neſcio quomodo, vt ſe quiſq; ſupra virtutem æſtimet ſuam, quorum ambitio magis poſtea irridetur, quàm impleatur. Cardinalis autem Arelaten. in tanta re anxius, & pluribus occupatus negotijs, aliquanto tardius venit, quàm tempus exegit, expectationemq; ſui nō ſine admiratione omnibus præbuit, qui tamen ad ſubſellia reſedit, mora ſua primitus excuſata: hodie, inquit, magna res agitur in nominatione, quæ ſtatim aperietur, ſtatus Eccleſiæ pendet: ſi tres viri, quibus rem commiſiſtis bene egerint, fateor quippe tardiuſculè me veniſſe: ſi autem male, nimis cito adſum. Quæ verbis, & trementi voce, & ore pallido, atque ex abundantia cordis pronunciauit: qui ſic locutus, aſpectu triſtis, animo turbatus, & oculis minax cunctis terrori erat: tantumq; mentis mœrorem oſtendit, ut plurimi conlacrymati ſint, qui eius in fronte, ſtatum ſuum condiſcunt. Verebatur namq; optimus ille Pater, ne tres viri, ſpretis maioribus Prę latis, plures ex inferioribus accepiſſent: quæ res eo erat ſuſpectior, quoniam nunquā ſcire aliquid de mente triumuirorum potuerat: qui ut corrugatam

gatam tunc Cardinalis frontem inſpexerũt, quaſi poſt coruſcantem aërem ad ſuſtinendam procellam ſe parauerunt. Timor tamen omnibus fuit, ne illo iterum die ſcinderetur Eccleſia, periculoſiorq; illo tumultus formidabatur, quem loci alias electio peperit. Iam enim vt quiſque mente conceperat, ſic aut laudationi, aut uituperationi triũuirorum ſe accingebant.

Quibus cognitis, viſum eſt tribus viris, ante aperturam tabularum, parumper ſermocinari, & animos audientium prius placare, quàm læderentur, nominationiſq; ſuæ tunc cauſas aperire, cum audiri poſſent: ſcientes quia poſt vulnus inflictum nemo benignus, eſt auditor. Locutus pauca prius eſt Abbas Scotus triumuir, & poſt eum Ioannes Segouius: vt igitur nulli ſe ſpretos crederent, qui forent omiſſi præfatiunculam iſtiuſmodi pręmiſerunt: cogitatum ſe maximum habuiſſe, quos viros intra conclaue reciperent quoſque extra dimitterent, opusq; ſibi viſum fuiſſe non minus extra, quàm intus viros habere ſenſatos, qui & conclaue tuerentur, & fieri nouitates in Synodo prohiberent, idque ex Platonis ſummi Philoſophi præceptis ſe didiciſſe, qui Rectores Ciuitatum ſic curare totum Reipublicæ corpus iubet, ne dum partem aliquam tueantur reliquas deſerant: quæ res eos etiam cõmouerit electores quoq; ſic per prouincias nominare, ne honoratæ aliæ, aliæ neglectę viderentur: in electis verò magnam curam habuiſſe, ne vel Epiſcopum ſine plebe, vel Abbatem ſine Monaſterio ſumerent: In omnibus, autem XLVI. Triũuiri rationem delectus ſui reddunt.

tem

Digitized by Google

tem per ſe nominatis, aut bonitatem ſingularem, aut nobilitatem cum bonitate, aut ſummā ſcientiam cum bonitate, & nobilitate ſe inueniſſe: & in Epiſcopis quidem cum Cardinali, qui Epiſcopus eſſet, numerum eſſe Apoſtolis æquatum: Abbates ſeptem, Theologos quinque, inter luminatos, ac doctores nouem, omnes autem in presbyteratus ordine conſtitutos. Alios quoq; officiales à ſe nominatos, & dignitatibus eſſe, & virtutibus inſignitos. Vicecamerarium quidem vnum, cuſtodes conclauis octo: cæremoniarum Clericos duos: promotores duos. Procuratorem Fiſcalem vnum: Soldanum vnum: quam circa nominationem habuiſſe ſe, & ad deputationes, vt iniunctum ſibi fuerat, oculum.

XLVII. Quæ nationes Electores dederint.

Quibus dictis aliquantis per multitudinem placuerunt, factoque miro inter omnes ſilentio, apertæ ſunt nominationis tabulæ, quas Ioannes Segouius legit, fuitq; omiſſus in illis nationum ordo: oneroſum enim triumuiris putatū eſt nationem nationi præferre. Ideoq; vt quiſque prior, aut prælatura, aut dignitate fuit, ſic prius eſt nominatus. Ego autem nequaquam timebo nationū ſeruare ordinē, qui Conſtantiæ fuit ſuruatus; nec mihi inuidiam timeo, quia nec prępoſitis gratiam, nec poſtpoſitis, iniuriam faciam; ordinem namq; iſtum, neque nobilitas, neque maioritas, ſed tēpus peperit, quia vt quæque natio verbum Dei prius ſuſcepit, ſic prior habetur, nec aut laudi eſt mihi, aut vituperio, dummodo Chriſtianus ſim, maiorum meorum, vel matutina, vel veſpertina

tina conuerſio : nec plus habet in Euangelio, qui mane ad vineam venit, quàm qui veſperi. Nationem tamen Italicam etiam ſedes beati Petri, & Romanum Imperium facit priorem : ſeruabimus ergo ordinem nationum, faciliorémq; legẽtibus præſtabimus intellectum. Illud tamen prius ſciendum eſt, Cardinalem Arelatenſem, non nominationis triumuiralis gratia, ſed iure proprio ad electionem veniſſe; ideoq; primum eum extra nationum ordinem pono, eundemq; locum cæteri Cardinales habuiſſent, ſi qui aut reintegrati Eccleſię, aut Eugeniana labe minimè commaculati in tempore aduenissent. Primus itaq; omnium electorum Cardinalis fuit Arelatenſis, vir & Conſtantiæ inſuperabilis, & prudentiæ incomparabilis, cuius virtuti haud aſcribere titubauerim quęcunque in Concilio geſta ſunt, quia nec ſine illo prælati perſeueraſſent, nec alicuius Principis vmbra protexiſſet, ſed pergo ad nominationem.

Ex Italica natione recepti ſunt Epiſcopi, Guilielmus Vercellenſis, vir & in Concilio notus, & in patria dilectus, & origine quidem Gallicus, dignitate verò Italicus, & in quo prædeceſſoris odor ſui Euſebij adhuc ſpirat : Georgius Auguſtenſis ex clariſſima Salutiarum familia genus ducens, ac nõ ſolum ſanguine, ſed animi quoque generoſitate & virtutibus nobilis : Ioannes Eporedienſis, & literis, & probitate clarus, ac ſenilem prudentiam in ætate adhuc iuuenili oſtendẽs. Ludouicus Taurinenſis claris ortus parentibus, & ſcientia iuris eminens, & moribus utique honeſtis excultus. XLVIII. Electores Italici.

Digitized by Google

Abbates. Aleramus Sancti Benigni Fructuarienſis, uir tam moribus, quàm ætate grauiſſimus, cui ex nobiliſſima domo de Carrecto origo eſt, quæ tantæ olim ſublimitatis fuit, ut Imperatores quoque habere meruerit. Et huic quidem Germanus eſt Mathæus Albigaunenſis Epiſcopus, cuius omni in re prudentiam per plures annos ſacrum Cõcilium demiratum eſt, & eorum ſanè qui alterum videt, vtrunque videt, ſic eſt vterque, & habitu corporis, & viuendi conſuetudine aſſimilis. Iacobus de Secuſia, & annis, & prudentia antiquus. Doctores, frater Ioannes de Montecanuto pręceptor domus Sancti Antonij de Rouerſio, cuius in toto ordine Sancti Antonij magna æſtimatio eſt, quique poſt magnum Abbatem ſecũdus habetur, & hic in Italia beneficium habet, in Gallia parentes. Frater Bartholomęus de Prouanis, pręceptor domus de Clauaſio eiuſdem ordinis, vir bonitate non minus, quàm doctrina amabilis: cumq; ijs viris ad eligendum Romanum Pontificem Italicorum natio eſt admiſſa.

XLIX. Electores Franci.

Ex natione Gallica, quæ & ipſa ſecunda eſt, cuiuſq; in Eccleſiam Dei per maxima extant beneficia, nominati ſunt ex Archipontificali dignitate, Ioãnes Tarentaſienſis, vir vita præſtans, & omnis inimicus ambitionis, quique inuitus ad tantam dignitatem vocatus fuit. Ex Pontificali, Franciſcus Gebennenſis antiquus Romanæ curiæ officialis, vir, vt parui eloquij, ſic magnæ intelligentiæ, & cuius iudicium in omni re ardua ſit præponendũ. Bernardus Aquenſis, Iuriſconſultus admodum oculatus,

oculatus, ſubtiliſq́; quia tamen ob notiſſima corporis impedimenta, infeſtamq́; ſibi podagram, hic ſe excuſauit, Lodouicus Maſſilieñſis in eius locum ſuffectus eſt, vir animo vaſtus, & ab omni ſimulatione alienus: quem talem puta, qualem audis: nuſquam fallax, nuſquam deceptor: Et hic ſententiam in Gabrielem latã publicè legit, cum ille ex Romano deiectus pontificio fuit. Ex Abbatiali Raymundus Conchenſis, ſcientiam iuris Pontificij apprimè callens, multaq́; in rebus conciliaribus experientia tritus: quique pro ſancta Synodo compluribus legationibus functus eſt. Ex gradu Theologico, Nicolaus Tibout Normannus, vir quondam negotioſæ, nunc autem nimiũ ſeneſcens otioſæ virtutis: Ioannes de Valle Brito, & patriam virtutem, & ingenium oſtendens: Thomas vero de Corcellis triumuir fuit. Ex Iuriſconſultis, Guilielmus Hugonis Archidiaconus Metenſis, vir nec prudentia vlli prædictorum, nec ſcientia inferior. Hi omnes cum Cardinali Arelateñſi ex tota Gallia ad electionem Romani Papæ vocati ſunt.

Ex natione Germanica, quæ omnium eſt ampliſſima, recepti ſuut ex Epiſcopali præeminentia, Fredericus Baſileenſis nobilitate generis, & humanitate in omnes eximius. Ex Abbatiali, Conradus de Lucella Ciſtertienſis Ordinis, vir, vt Monachũ decet, & à pompa ſæculi, & ab omni ſuperbia remotus, ac Thomas de Scotia trium vir. Ex doctorali Detzelaus Archidiaconus Cracouienſis, Polonns genere, conuerſatione ſuauis, & doctus. L. Electores Germani.

Ioannes Vuiler, Decanus Baſileenſis, vir manſuetus, & ſciens plura quàm prædictus. Henricus de Iudeis in ſplendida Vrbe Colonienſi humanitate, ac doctrina patriam redolens. Iacobus de Saltzburga, Canonicus Ratiſponēſis, vir neq; precibus, neque minis commutabilis. Chriſtianus autem de Gretz (vtſupra diximus) iam in cōſortio triumuirorum erat aſſumptus.

LI. Electores Hiſpani.

Ex natione Hiſpanica, quæ & ipſa vaſtiſſimos habet, ac pernobiles campos, quatuor Chriſtianis Regibus, & vno infideli regnata, hi ſunt ad electionem magni paſtoris accerſiti. Pontifices octo, Dertuſenſis Conſilij vtilis, & animi ſtabilis, totaq; conuerſatione perlepidus; hic in ea ſeſſione, qua lata eſt in Gabrielem depoſitionis ſententia, præſedit: nec poſt, quamuis plurimi peſtem fugerent de receſſu habuit mentionem: fidus ſemper & Arelatēſis comes, & Eccleſiæ filius. Georgius Vicenſis ſumma doctrina, & grauitate, quo nemo pluribus, nemoq; grauioribus apud Principes Concilij cauſa legationibus vſus eſt, quas cū magnis vitę periculis, magniſq; peregit ſumptibus, qui etiam illud ſingulare fecit. Is enim vt vidit Principes Gabrielis cauſam tueri, & Oratoribus ſuis præfinita loqui præcipere Eugenianis: legatione Regis ſui, quam tunc apud Synodum gerebat, ſe abdicauit, ne cum alijs Principum nūtijs dicere aduerſus conſcientiā cogeretur. Quod ſi alij feciſſent Epiſcopi, nequaquam autoritatem Eccleſiæ Principes, cum ſua neutralitate paruipendiſſent: Sed omnium malorum, quæ in Ec-

cleſiam

cleſiam irruerunt, partem maximam ipſimet induxerunt Sacerdotes. Ludouicus Viſenſis, vir, & amicus amico, & conuerſatione perplacidus; hic Orator Ioannis Portugalliæ regis præſtantiſſimi in Concilio fuit, quo vita functo etiã in Concilio manſit, tribusq; ipſius Concilij honorificentiſſimis legationibus functus eſt. Iuit ad Græciam cum viro prudentiſſimo Ludouico Lauſanenſi, quem & viarum, & periculi, & honoris habuit comitem. Iuit Coloniam, & ad Ducem Burgundię potentiſſimum, collega Ludouici protonotarij: & ambo quidem in reditu per quędam ex Comitibus Palatinis Rheni capti ſunt, & iuſſu Gabrielis in cuſtodiam mancipati. Qua in re virum ſe priſcæ virtutis Viſenſis oſtendit. Namq; cum libertas ſibi abeundi dimiſſo collega fieret, nunquam ſe inquit carceres egreſſurum, niſi cum ſocio: iuit & in eas Galliæ partes, quibus Britannia hodie nomen eſt, Ducisq; illius excellentiſſimi animum ad Concilium flexit. Abbates recepti ſunt Petrus Sancti Cucuphatis, vir ſolers, & Monaſteriorum gubernationi aptiſſimus; ac Antonius Arularis, & aſpectu, & alloquio gratus. Doctores, Bernardus Buſcho, Canonicus Illardenſ. iudicij non minus recti, quàm firmi, & Raymundus Albioli Canonicus Tiraſonenſis ſenſum habens, & mores ætati conuenientiſſimos: Ioannes quoq; Segouius triumuir ex hac natione electioni interfuit. Hi quoque ex quatuor nationibus nominati ad eligendum Papam fuerunt. Angli verò idcirco recepti non ſunt, quia non aderant,

rant, nec alij aſſumi poterant quàm præſentes.
L II. Officiales Conclauis. Officiales autẽ circa conclaue neceſſarij vocati ſunt, Ludouicus Epiſcopus Lauſanenſis Vicecamerarius, vir ſummi exercitij, ſummæq; vigilantiæ, & ad officium ſibi commiſſum non ſolum aptus, ſed neceſſarius: cuius in negotijs ſingulis diligentia, in ſacro Concilio, & in omnibus rebus bonitas in tota Chriſtianitate perſpecta eſt. Cuſtodes Cõclauis Perceuallus Bellicenſis Epiſcopus, non minus re bonus quàm aſpectu. Nicolaus Groſſetanus genere nobilis, & fidelitate inſignis, quem, & pro ſeruitio Eccleſiæ, & pro defenſione fidei ſpoliari beneficijs nõ piguit, veritatem cum paupertate, quàm mendacium cum diuitijs eligentem. Ioannes Sancti Michaelis de Cluſa Taurinenſis Diœceſis, præſtanti ingenio. Et Franciſcus Abundantiæ, tam ſcientia, & virtute, quàm temporalibus bonis abundans. Monaſteriorum Abbates, Franciſcus de Fuxe, Theologus, profeſſione minor, eloquentia magnus. Guilielmus de Cõſtantia Canonicus Spirenſis antiquus Pontificij iuris interpres. Ioannes de Turicella, Decanus Segobricenſis Iuriſconſultus, ac Theodoricus Nagel Canonicus Rigenſis probitate cognitus. Clerici gratia Ceremoniarum, Aeneas de Piccolominibus Senenſis, Canonicus Tridentinus, ac Michael Brunon, Canonicus Belluacenſis in eo exercitio longo tempore tritus. Promotores, qui antea in Concilio per plures annos negotia promouerant viri docti, & conſtantes, Hugo Gerardi, & Ioannes Slitzenerode: Procurator
fiſcalis,

Digitized by Google

fiſcalis qui antea fuerat, vir exercitatus Robertus Magnani. Soldanus verò Petrus de Atro, qui etiam ab initio naſcẽtis Concilij eo in officio laudabiliter ſe habuerat.

Hi fuerunt viri conſcripti ex nominatione triumuirali, qua per Ioannem Segouium lecta (vt antea diximus) exhilaratus eſt Cardinalis animus, qui vſque ad illam horam trepidus, ſtupidusq; permanſerat, nec perſuaderi ſibi poterat nominationem iſtiuſmodi fieri. Vt autem vidit Epiſcopos, & Abbates in magno numero aſſumptos, & nationes, quæ in Concilio erant, æquis portionibus honoratas, & animi ſimul vigorem, & frontis recepit colorem. Factusque lætus ſereno vultu concionem quoque exhilarauit, quæ illo mœſtitiam oſtendẽte, non triſtis eſſe non poterat. Habuit ergo Cardinalis de nominatione facta magnifica verba, triumq; patrum virtutem magnopere commendauit, qui in Concilio ſe ſemper bene habuiſſent, & nunc optimè: poſteaq; concionem dimiſit, eaq; die occupati omnes fuerunt ad præparandos in conclaui neceſſarios conuictus.

Serò autem ſinguli electores ad Cardinalis domum vocati, de cameris diuidendis, intra conclaue ſermonem intra ſe habuerunt. Et quoniam camerarum magna differentia erat, videbatur Prælatis diuiſionem ſecundum dignitates fiendam: atque vt quiſquis dignior, & antiquior eſſet, ſic prior locum ſibi aſſumeret. Nec ferendum eſſe dicebant, vt Cardinalis, & Archiepiſcopus cum doctoribus veniret ad ſortem: quo caſu ridiculum eſſet,

LIII. Cameræ cõclauis diſtribute.

eſſet, ſi Cardinalem infra, & doctorem ſupra locari contingeret. Cumque Prælati eſſent numero plures, omneſq; vno ore loquerentur, deſperata res videbatur de ſortibus cogitare: vt cumq; tamen res iret, viſum doctoribus eſt etiam pro ſe verba facere. Dicebant igitur priſcas conſuetudines non debere reſcindi: in omni conclaui obſeruatum, vt cameræ per ſortem diuiderentur, neque id inter Cardinales tantum, ſed etiam inter Cardinales, & alios; fuiſſe Conſtantiæ Cardinales admodum multos, non tamen reſpuiſſe cũ Epiſcopis, & doctoribus ſortem ſubire. Prælatos autem nimium ſibi ipſis fauere, qui cum eſſent numero plures, ſententiam magis vocibus, quàm rationibus obtinerent: ſi ſine ſorte fiat electio camerarum, timendam eſſe colluſionem inter electores, timendum quoq; ſchiſma ne ſtantes infra & rigentes frigore, locatis ſupra inuideant. Quibus rationibus Cardinalis eu ictus, in ſententiam doctorum conſenſit: ac poſt eum vir bonus Epiſcopus Dertuſenſis prophetatus eſt. Si quis enim eſt (ait) cui nocitura ſors ſit, ego ille ſum, quem vltimum ſors efficiet: ne tamen aut priſcas conſuetudines euertamus, aut inuidioſi Doctoribus ſimus, vtilius puto rem ſortibus tranſigi, eiuſq; in ſententiam concluſum eſt, eademq; ipſa hora miſſi ſunt ad conclaue, ex omni ſtatu electorum cum Cardinali Arelatenſi, qui ſortes ſuper cameras, ex conſilio Vicecamerarij iacerent. Scripta igitur ſunt electorum nomina ſingulatim per ſchedulas, quæ omnes clauſæ, ac permixtæ, in

quodam

quodam birreto reconditæ ſunt, atque exinde ad primam, digniorémque cameram ventum eſt, vbi tunc Cardinalis Arelatenſis manū iaciens in birretum, ſchedulam, quæ ſibi fortè obuenit recipiens legit, eamq́; Vicecamerarius in fronte ipſius cameræ confixit: ſicq́; ſucceſſiuè per ordinē factum eſt, vt intraturi ſequenti die electores cōclaue, eam ſibi cellam noſcerent aſſignatam, vbi ſuo nomini obuiarent: fuítque primus omnium Decanus Baſileenſis, vltimus verò (vt vaticinatus extiterat) Dertuſenſis Epiſcopus. Miraq́; in re hac diſtributio ſortis fuit, aut potius diuina diſpenſatio, quæ conſilia hominum reprobans doctorem primum, Epiſcopum autem poſtremum fecit, cum ſtatuiſſent ante Prælati cellulas ſibi digniores aſcribere: id tamen in vtroque bonitatis eſt viſum, vt neq; Decanus ex primo loco ſuperbierit, neq; ex vltimo Dertuſenſis Epiſcopus cōdoluerit, ſed illum indignè ſe credere, iſtum dignè locatum humilitas faciebat.

LIIII. Electores omnes ad ſacram Synaxim accedunt.

Sequenti autem die, quæ fuit Veneris iij. Cal. Nouemb. habita eſt generalis congregatio, concluſæq́; ſunt proximarum deputationum deliberationes. Seſſioq́; mox ſecuta eſt: diuina autem officia Cardinalis Arelatenſis celebrauit, quo nemo ceremonias nouit melius. Sermonem autem ad electores poſt Euangelium decantatum, Marcus inſignis memoriæ Theologus habuit, qui enumeratis depoſiti Gabrielis criminibus, ſuadere electoribus nitebatur, vt virum aſſumerent, qui cōtraria imitaretur prioribus, quique omnia euitās

Gabrielis vitia, vt ille calumnijs odioſus fuit, ſic ſe iſte aſſumendus iuſtitia præſtaret acceptum: Erat templum vbiq; populo plenum, ſtabãt inter columnas ſuperiores nobiles Vrbis matronæ, reſpectumq́; in concionem habentes ordinem rerũ non ſine deuotione conſiderabant. Aderat Ioannes de Tierſtein Comes, qui loco Imperialis protectoris cathedram adimplebat. Aderat Conſulatus vrbanus, & alij complures nobiles, rem inſolitam conſpecturi: ſeruabaturq́; inter omnes ſilentium; extra Eccleſiam quoque Ciues in armis erant, ſi quod ſcandalum pararetur prohibituri. Tantuſq́; ad ſpectaculum eius rei confluxerat populus, vt neq; in templo, neque in plateis recipi poſſet, magnaque vndiq; intra Eccleſiam haberetur preſſura. Vt igitur Cardinalis Arelatenſis intra Miſſarum ſolemnia communicaſſet, vocati ſunt ad altare cummunicaturi, etiam ſecundum ordinem electores. Tumq́; Archiepiſcopus Tarentaſienſis, & decem alij Epiſcopi communicarunt, poſt autem ſeptem Abbates, exinde quoq; Theologi, ac demum Iuriſconſulti nouem qui accedentes altare genibus flexis, & lacrymis vbertim fuſis, ſacratiſſimæ ſuſceperunt Euchariſtiæ ſacramentum. Eratq́; venerandum ſpectaculum, tot eximios antiſtites, totque præclaros patres, nudam ante dominicum ſacramentum oſtentantes caniciem cernere, & alios quidem orantes, alios verò illachrimantes conſpicere. Deuotionem autem maximè Cardinalis adaugebat, qui Pontificalibus indutus veſtibus nudato, & caluo

capite

capite dominicum corpus quibuſq; miniſtrabat, & confeſſionem in re tali ſolitam ſingulis repetebat: ac ſecutus pijſſima Saluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti veſtigia, quemlibet deoſculabatur: hortatus plurimum vt quàm quiſque poſſet, pura anima ſuſciperet Dominum: Quam rem ſic ordinatè, ſic ſolemniter, ſic deuotè peregit, vt ex videntibus nemo tenuerit lacrymas, niſi qui pectus habuit aut ſaxeum, aut ferreum.

Poſt hæc finita Miſſa, & congregatione generali peracta, Prælati omnes infulas, & veſtimenta ſeſſioni accommoda ſuſceperunt. Inuocata altis vocibus per omnes patres Spiritus ſācti gratia, peractiſq; litanijs, & orationibus, ac omni ſolemnitate ſeſſionis impleta, Ludouicus Epiſcopus Lauſanenſis ambonem aſcendit, triaq; illic per ordinem legit. Primò reſponſionem Synodalem, ad famoſum Gabrielis libellum, cui principium eſt, Moyſes. Secundò limitationem quandam circa decretum, de electionibus dudum in Synodo editum. Tertiò verò nominationem triumuiralem, quam ex certa ſcientia ſacrum Concilium approbauit. Quibus lectis interrogati Patres, vtrum placeret? Reſpōſum eſt ab omnibus, placet. Ex hinc requiſiuit Lauſanēſis iuriſiurandi formam ab electoribus præſtandam publicè legi; Electoreſque iuxta Concilij ordinationem iurare. Primus igitur Cardinalis Arelatenſis aperto Decretorum libro, formam iuramenti cunctis audientibus legit. moxq; requiſitus, vt ita iuraret. Ego (inquit) Reuerendiſſimi Patres coram Domino meo LV. Iuſiurādum præſtant. Forma iuramenti.

Ieſu Chriſto cuius modo ſacratiſſimũ corpus indignus peccator manducaui, cuiq; in tremendo, & magno finali iudicio de omnibus per me factis, rationem ſum redditurus, promitto, iuro, & voueo, quoniam in hoc electionis negotio, ad qđ nunc volente Concilio mittimur, nihil aliud quęram, quàm populi Chriſtiani ſalutem, & vniuerſalis Eccleſiæ bonum, Idque mihi curę erit ſtudere, ne autoritas generalium Conciliorum vilipendatur, ne fides Catholica expugnetur, neùe patres in Concilio perſiſtentes opprimi poſſint: hoc quęrã, hoc ſollicitabo, ad hoc viribus totis incumbam, nihil in hac re, aut mei, aut meorum amicorum cauſa faciam, ſed ſolum Deum, & Eccleſiæ ſuæ vtilitatem reſpiciam: hoc animo, hac mente, hoc denique corde conciliare ſuſcipio iuramentum. Fuitq; eius ſermo, & viuax, & termicus, omniumq; aſtantium commouit animos. Poſt eum Electores alij ſuo ordine iurauerunt. Quæ res electioni poſt factæ maximam præbuit autoritatem. Quis enim non illum Summo Pontificio dignum putet, qui tot Sacerdotum, Epiſcoporumq; iudicio ſit comprobatus? præſertim, cũ illi antea ſuſcepto dominico corpore iuſiurandum præſtiterint, nullum ſe electuros, niſi quem ſenſerint tantæ idoneum dignitati; in ea etiam ſeſſione, & Vicecamerarius, & Cuſtodes conclauis, & clerici ceremoniarum, & promotores iureiurando promiſerunt officium ſine fraude exercere. Quibus peractis omnibus, hora iam poſt meridiem tertia adhuc populo Ieiunante cantatum

Magna ex hoc iuramẽto electioni accedit autoritas.

tum

tum eſt vndique Te Deum laudamus, & organis reſpondentibus alternatim, vſque ad finem completus eſt hymnus.

Quo facto, egreſſi ſunt pueri in ſtolis albis admodum multi longũ proceſſionis ordinem facientes, quos ſecuta pars cleri vrbani eſt: Et poſt veneranda incorporatorum multitudo cum doctoribus, & vniuerſitatum Oratoribus, qui longis, honeſtiſq; veſtibus, Orantes incedebant. Exinde Sacerdotes vrbani, excolendas ſanctorum Reliquias in vlnis geſtantes proficiſcebãtur. Mox verò Ludouicus Lauſanenſis Crucem argēteam ante ſe habens, ſequentibus quatuor Clericis incedebat. Poſt verò Cardinalis Arelatenſis adhuc, & mitra, & auratis fulgens veſtibus, deuoto, & deſideranti populo benedicens. Exinde infulati Epiſcopi, & Abbates ad proceſſionem ornati innumerabili populo ſubſequente procedebant, ſicque alijs orantibus, alijs ſuſpirantibus vſque ad oſtium Conclauis eſt proceſſum, armatis hinc, atque inde propter cuſtodiam conclauis exiſtentibus. Vt verò ad conclaue ventum eſt, receptis electoribus, dimiſſi ſunt cæteri. Intromiſſi ſunt etiam dominorum ſeruitores conceſſi. Non tamen oſtium conclauis ſtatim eſt clauſum, ſed vſq; ad nonam ante mediũ noctis horam familiaribus patuit, [illegible]s deferentibus opportunas, permiſſiq; vſque id temporis ſunt amici ad amicos accedere. Cardinalis autem ſic proceſſionaliter ingreſſus, ſequentibus electoribus in ſacello quod celebrandis Miſſis paratum erat, ante altare, & ante ipſum

LVI. Solenni põpa ad conclaue pergunt.

ipſum Chriſti vexillum genibus flexis, & nudo capite orationibus Deo porrectis, & domui, & habitatoribus benedixit: ſicq; poſitis pluuialibus, & mitris, illuc ſe quiſq; recepit, vbi nomen ſuum recognouit. Cum verò iam noctis veniſſent tenebræ, ingreſſus eſt Protector cum quibuſdam ciuibus, vt quiſquis locatus eſſet, viſurus & voluptatem magnã ex tanto ordine ſuſcipiens: poſt eum verò intrauit Lauſanẽſis Vicecamerarius, & ipſũ ſecuti ſunt cuſtodes conclauis, aliqui ex ijs ſingulas cameras diligenter rimati, & perſonarum, & rerum examen habuerunt, excuſſuri extra conclaue, ſi quid contra leges reperiſſent, nihilque præter ordinem inuenientes abierunt. Et hora (vt dictum eſt) nona, tam intra, quàm extra obſerata eſt ianua, & vndique admoti peſſuli, cum catenis tenacibus.

LVII. Conclauis forma.

Sed quoniam de Conclaui ſermo eſt, neceſſarium exiſtimo ipſius formam conſcribere. Domus erat in medio vrbis, apud plateam cathedralis Eccleſiæ, loco edito, & patenti, quam nobiles quondam in vſum ſtruxerant chorearum, & ſupra, & infra perlatas habentem aulas: & ſuperiorem ſanè, quoniam igne poterat calefieri, hyemi, inferiorem, ęſtati deputauerant. Hic igitur Conclaue haberi poſſe eſt viſum, vt eſſet domus orationis, vbi fuerat laſciuiæ campus: & ſuccederent mores, vbi vitia triumpharant. Conſtructæ ergo illic ſunt, & ſupra, & infra manſiunculæ opportunæ, quarum numerus æquatus eſt electoribus vna ſuper adiuncta, quæ cæremoniarum clericis deſer-

deſeruiret. Fuit autẽ ſtructũra earum admodum facilis; nec enim aut ſaxo, aut robore ligneo parietes inſtruxerunt medios, ſed poſitis in columnarum morem ex abiete ſudibus cortinas ſimplices, viſuque penetrabiles pro parietibus texuerunt. Camerarum forma plerunque quadrata fuit, perbreuis tamen, & anguſti vix lecti, vniusq́; menſæ capax: luce autem omnes ferè carebant, exceptis admodum paucis, quæ ſpiracula quædam in angulis conclauis habuerunt. In medijs verò cellulis perpetua manſit obſcuritas; nec ſine candela, aut legere, aut eſſe potuit quiſpiam. Noxq́; vna ijs fuit dierum ſeptem: ac cameræ inferiores plus etiam incommodi habuerunt, quia in ſolo poſitæ frigidiſſimo, loca piſcibus magis, quàm humanis apta corporibus præbuerũt. Quocirca omnes, qui eas inhabitauerunt, reumaticũ morbum ex humore nimio contraxerunt, & tamquam alter alterum irrideret, tuſſientes inuicem reſpondebãt, nec illi frigori vllum erat remediũ: veſtes enim, & villoſæ pelles magis grauabant, quàm calefacerent, ignem verò habere loci anguſtia, nec periculum, nec fumus permittebat. Murus Conclauis, & groſſus vndique, & altus fuit. Omnesq́; feneſtræ clauſæ fuerunt: nec appropinquare muro aliquis poterat, niſi armati cuſtodes qui die, noctuque intra ipſos cancellos excubabant. In media verò parte ipſius conclauis in modum feneſtræ oſtiolum fuit, & hoc quidem duabus exterius clauibus, vna interius claudebatur. Et illarum quidem alteram Vicecamerarius, alteram

ram Protector cuſtodiuit. Illam verò Cardinalis Arelatenſis habuit: nec vlli vnquam tradidit, niſi ceremoniarum clerico Aeneæ, cum aut admittendi cibaria, aut emittendi cœnarum reliquias fuerat tempus: bis namque ante prandium, & totiēs poſt prandium reſerabatur oſtiolum. Et bis quidem recipiebantur fercula, bis autem remittebantur fragmenta.

LVIII. Miniſterij ordo. Quibus in rebus hic modus obſeruabatur. Erant (vt antea diximus) in conclaui familiares, qui dominis ſuis electoribus ſeruiebant, doctoribus ſinguli, prælatis bini: extra verò vt quiſque potuit, ſic habuit ſeruitores. Et illi quidem qui extra remanſerunt, cibaria comparabant, quæ horis indictis in lignea capſa depicta quam cornutam appellant, vſque ad conclauis oſtium deferebantur: & ne ſuſpitio veneni eſſet, deguſtare tam pocula, quàm cibaria cogebantur. Exinde per cuſtodes conclauis examen fiebat, ne vel litera, vel aliud quiduis præter eorum ſcitum intromitterentur. Quare omnia in manu Vicecamerarij præſentabantur. Et ille extendens ad oſtium manus præſentabat Aeneæ ceremoniarum clerico, cui ſoli cum ſocio licebat adhærere feneſtræ. Itaque nec qui extra erant, mandare aliquid in conclaue poterant, niſi per Vicecamerarium: nec qui intra dictare aliquid foris, niſi per clericum. Et oportebat omnia alta voce, & latina dicere, vt qui protectoris erat interpres, intelligeret, quæ mandarentur: cum verò emittendi reliquias cœnarum hora aduenerat, vocabantur per clericum ceremoniarum

moniarum familiares cum cornutis: qui venientes ad cancellos interiores ipſi clerico omnia aſſignabant, & ipſe extra feneſtram Vicecamerario contradebat: Mittebantur etiam extra paropſides, & alia menſarum ornamenta, quæ lauacro indigebant. Et ea etiam perquirebantur, ne quid ab intra emitteretur literarum: fueruntque ali quæ deprehenſæ, quæ ſtultitiam magis familiarium, quàm rem proderent: nonnulli etiam in ipſis vaſorum fundis ſculpentes literas, commonere amicos tentauerunt: ſed inuentis omnibus, nec graue aliquid, nec quod ab electoribus proueniret compertum eſt. Vt verò perquiſita ſingula erant, quæ extra mittebantur, quicquid cœnarũ ſupererat, pauperibus Chriſti dabatur, qua ex re plus quàm ducenti vitam trahebant, quocirca cum omnibus longiſſima videretur conclauis mora, ſolis huiuſmodi pauperibus eſt viſa breuiſſima. Illud etiam cuſtodes Conclauis libenter obſeruabant ne ad electorum eſcam diuerſæ ſpecies cibariorum deferentur. Et oportebat quidem aut carnibus tantum, aut piſcibus veſci: aut ſi neque hoc, neque illud placebat, ouis, & caſeo. Rurſuſque qui carnibus vtebatur, vna ſpecie cõtentari debebat: nec qui bouem habuit, vti etiam oue potuit. Id quoque in piſcibus fuit, nec enim cui murena eſt intromiſſa, offerri quoque anguilla potuit. Si quis autem in legem commiſit, partem alteram in oſtio perdidit; idque cum prima die familiares incautè commiſiſſent, & dominis ſuis quaſi nuptias celebrantibus dubiam afferrent cę- *Victus ratio.*

nam, omnes in oſtio ſpoliati ſunt, nec plus vna ſpecie intromiſſum eſt. Quos inter Cracouienſis etiam Archidiaconus diminutioẽ tulit. Cui cum aues, & arietinæ carnes afferrentur, ſubtractę auiculæ ſunt, orante in porta famulo, vt quod plus eſſet id Domino dimitteretur: ſperabat namq; ex ariete partem, ex auibus autem partem non ſperabat: Dominus tamen auiculas præoptaſſet, ideoq; cum ſpolium ſenſit vbique cõqueſtus eſt, publicèq; teſtatus, nunquam ſe diem poſtquam Sacerdos fuit tuliſſe peiorem. Ac cum rogaretur, ne admirationem haberet, quoniam idem obtigiſſet Cardinali: Proh; (inquit) Cardinalem mihi æquiparas, hominem gallicum, parcum, euentrem, aut (vt veriùs loquar) non hominem? Ego apud eum meo infortunio ſum locatus, omnia quæ facit perluſtris mihi cortina indicat, nec adhuc aut bibere eum, aut comedere vidi: & quod mihi moleſtius eſt, inſomnes noctes, inſomnesq; dies ducit (quamquam nulla eſt apud nos dies) aut legit ſemper, aut negotiatur; nulla ei minor, quàm ventris eſt cura, mihi nihil cum eo commune eſt. Ego Polonus ſum, ille Gallicus, mihi ardet, illi friget ſtomachus, illi ſanitas, mihi mors ieiuniũ eſt: Ego ni multum comedam, & multum dormiã, cito deficiam; Illi è cõtrario omnia ſunt. Ieiunent Gallici, & Poloni comedant. Quo dicto cunctos in riſum vertit. Et quoniam de hoc faceto, & hilari homine facimus mẽtionem, id quoq; non præteribo; ea namque infelicitas eius fuit, vt famulus eius, qui extra manſit, ſemper ad oſtiũ

Lepida narratio.

Cardinalis Archatenſis abſtinentia mira.

veniret vltimus cum cibarijs. Ex quo ortum in oſtio prouerbium fuerat, vltimum eſſe, qui prior eſuriret. Fuit autem hæc lex de cibarijs antiquitus aliter inſtituta: primis enim tribus diebus nulla erat cibariorum apud veteres limitatio. Quarta die, ad vnam ſpeciem redigebantur. Nona verò ſublatis alijs ſolum panis, & aqua electoribus tradebatur. Clemens autem vti clementia cupiens rigorem legis in modum, qui nunc ſeruatur moderatus eſt. Id quoque inter electiores ſeruatum extitit. Patentibus namq; pranſitatum, & cœnitatum eſt cubiculis, vt ſic oculis omnium teſtibus factis luxuriæ modus fieret. Et cibaria quippe inter ſe miſſitare non licebat, vinum licebat. Rigidusq; huiuſmodi legum non ſolum obſeruator, ſed cuſtos etiam fuit Ioannes Segouius, qui non aliter violare alienas leges exhorruit, quā ſuas proprias apud Romanos Arrius Reſtio, de quo illud memorabile fertur, eum foris quo aduixit, poſtea non cœnaſſe, ne teſtis fieret cōtemptæ legis, quam ipſe bono publico pertuliſſet.

LVIII. Ordo in occupationibus, & eligendi ratione.

Sed (vt eo redeam quo ſum digreſſus) electores poſtquam obſeratum oſtium fuit, ac poſtquam aliquantiſper in ſuis conuenerant manſiunculis, egreſsi ad viſitandum ſe inuicem ſunt, atq; vt quiſquis in ſua camera eſſet proſpiciebant, quibus in locis nō aliter ſe viciſſim recipiebant, ac ſi ex longa peregrinatione rediſſent, eàque viſitatione ad magnam noctis partem producta, tādem ad quietem eſt itum: horaque poſt medium noctis tertia ad matutinas ſinguli experrecti ſunt: orāteſq; vſ-

Digitized by Google

que ad quintam, exinde Miſſarum officio ſe tradiderunt, & alij quidem in ſuis cellulis, alij verò in communibus altaribus celebrabant. Epiſcopi namque altaria plerunque portatilia apud ſe traduxerant, vt poſſent complurimi celebrare. Vt verò dies illuxit, vniuerſi ad communem Miſſam venerunt: qua completa, & decantato hymno quo Spiritus ſanctus euocatur, habitis in Cõcilio patribus, de modis in conclaui obſeruandis conſultatum in medio eſt. Iſque cõmuni conſilio receptus eſt ordo: ſtatutum eſt ſingulis noctibus, quatuor ſupra, & quatuor infra ex ſeruitoribus aſſumi vigiles, qui noctes inter partiẽtes, curam haberent, ne vel ignis, vel alia quæuis res nocumento eſſe poſſet. Cui rei nemo vigilantius incubuit, quam Rubinus antiquus Cardinalis de Cypro nobiliſſimi familiaris. Cuius excubatione nequaquam dubitauerim pleraque euitata fuiſſe diſcrimina. exinde cautum erat, vt poſt mediam noctis horam inter quartam, & quintam euigilatio per omnes fieret: tumq; vſque ad ſeptimam vt cuique animo eſſet, aut oraret, aut celebraret. Poſtea verò ad communem Miſſam omnes accederent. Qua peracta, & ſpiritus almi efflagitato patrocinio, concilium iniretur: vtque in eo ſcrutinium fieret, & eo finito, prandium haberetur. Ac deinde, vt quemqu; voluptas traheret, ſic vel legeret, vel quieſceret, vſque ad horam poſt meridiem tertiam: quo tempore iterum intrantes Concilium illorum merita in examen ducerent, qui præcedenti ſcrutinio nominati fuiſſent;

ſent; maturè inter ſe ſe conſulerēt, quo nunc Eccleſiæ modo ferri auxiliū poſſet. Dimiſſo verò Cōcilio, hora circiter poſt meridiem ſeptima cœnaretur, ac poſt horis tribus ad quietem ſe cuncti redigerent. Eo modo tam diem, quàm noctem partiti ſunt.

Omittam illam ſacratiſſimam vitam, beatam, & omni ſtricta religione mundiorem: vbi nam gentium talis Patrum eſt chorus, vbi tantum ſcientiæ lumen? vbi prudentia? vbi bonitas eſt, quæ horum patrum æquari virtutibus queat? O integerrimam fraternitatem? O verum orbis terræ Senatum? quàm pulcra, quàm ſuauis, quàm deuota res fuit, hic celebrantes Epiſcopos, illic orantes Abbates, alibi vero doctores diuinas legentes hiſtorias, audire? & vnum ad lumen candelæ ſcribentem cernere, alium verò grande aliquid meditantem tueri? Carthuſiam Gallici, Delfinatus, ſiue Sabaudiæ commendent, potuitne vnquàm religio hac excelletior inueniri? Ac ego exiſtimo illis in locis irriguos magis fontes, & ſplendidas cellas, aliaq; ædificia eſſe admirationi, quàm homines. In noſtro verò Conuentu, cætera cōtemnēda, viri dumtaxat admirandi fuerūt. Quorum modeſtiam nemo potuit ſatis contemplari; nullæ illic rixæ, nullæ cōtentiones, omnia in amicitia, omnia in dilectione fiebant. Illic cum exeūtem cellam quempiam ex antiquioribus vidiſſes, nō alium certè videre putaſſes quàm vel magnum Antonium, vel Paulum ſimplicem, & illum ſanè Hilarioni, illum Paphnutio, illū verò Amo- LX. Cōuerſatio electorum ſancta.

ni æquiparaſſes. Plus etiam hoc in loco, quàm in Antoniana ſolitudine reperies. Siquidem Hieronymo etiam, & Auguſtino obuiaſſes, quorum literę in conclaui fuerunt, in heremo non fuerunt. Cuſtodiebatur inter dominos magna charitas, inter famulos bona dilectio, inter vtroſque optimum ſilentium. Et iſti in dominos obedientes, illi in ſeruitores benigni erant: nulla ſuperbia, nullus liuor, nulla ſimultas vigebat, ſuus cuiq; ſtatus placebat: nihil ſecretum, nihil ocultum fuit, omnia ſcire vicinum oportuit, quæ fecit vicinus.

LXI. [F]amuli, ſeu [C]ōclauiſtæ [q]uales.

Sed neq; mihi tacendi familiares videntur, quorum numerus fuit duo, & quinquaginta. Itaq; omnes animæ quæ ingreſſæ ſunt conclaue, tres de nonaginta dinumeratæ ſunt, fueruntq; inter ſeruitores complures & docti, & ornati viri. Erant cū Cardinali Arelatenſi Stephanus Plonerij, Petrus de Tridia, doctores, & Archidiaconi: cum Archiepiſcopo Tarantaſienſi, Antonius Piceti Iuriſcōſultus, qui auditor etiam Rotæ aliquando fuit. Cum Baſileenſi Epiſcopo, officialis ſuus, vir non minus doctus quàm facetus. Fuerunt, & alij complures, & docti, & egregij viri. Quapropter facile poteſt quis dominorum excellentiam recognoſcere, vbi virtutes familiarium non ignorat.

LXII. Sortiendi ratio.

Sed iam tempus admonet, vt ſcrutiniorum ſeriem referamus, & modū: eo ergo in loco vbi & Cardinalis, & Vicenſis Epiſcopi cella fuit, atque alię nouem, hinc, atque hinc ſedilia poſuerunt. In ſummo loco ara erat ſacra, & ante ipſam, puluinar

Cardi-

Cardinali ſtratum. Ad cuius dextram ſedebat Archiepiſcopus Tarantaſienſis, & ad ſiniſtrã Dertuſenſis Antiſtes, & ſucceſſiuè hinc, & inde gradatim reliqui electores aſſidebant. Ante ipſum verò Cardinalem ſcabellum, ſupra ſcabellum ex argento peluis ſtabat. Huc audita Miſſa, & decantato Spiritus ſancti hymno, ſinguli electores venerunt, & eorum quilibet ſchedulam ſuam iecit in peluim. Eaſq; poſt modum ſingulatim Cardinalis recepit, & legit, atque vt ipſe legerat, quatuor alij ex electoribus electionem ipſius ſcribebant. Scriptio autem ſchedularum huiuſmodi erat: Ego Georgius Vicenſis Epiſcopus, eligo in Pontificem Romanum illum, vel illum, poteratq; vnum vel duos vno in ſcrutinio nominare. Et inſcribebat ſe quilibet electorum nomine proprio, vt ſic in electione ſchedularum ſeipſum quiſq; recognoſceret, poſſetq; contradicere, ſi aliter quã ipſe diceret ſcripſiſſet, quæ res excludebat omnem dolũ. Vt autem omnes ſchedulæ lectæ erãt, & nominationes eorum ſcriptæ, fiebat per ſcrutationẽ numeri ad numerum collectio. Et niſi aliquem in vnum duas ſchedularum partes reperiebant concurrere, eaſdem igne cremabant.

LXIII. Primo ſcrutinio diuiſa ſuffragia.

Igitur primo ſcrutinio confecto compertum eſt plurimos eſſe in Papam nominatos, nullum tamen habere voces ſufficientes, ſeptemq; & decem eo die ipſo ex diuerſis nationibus ad Pontificatum fuiſſe vocatos conſtat, vnus tamen omnes ſuperauit vir præſtantiſſimus Amedeus Dux Sabaudiæ, Decanus militum Sancti Mauritij de Ripalia Ge- *Plura tamẽ cæteris habet Amedeus.*

bennenſis

bennenſis Diœceſis, quem iam cœlibem, ac religioſè viuentem, ſexdecim electores primo ſcrutinio dignum, qui gubernaret Eccleſiam cenſuerunt. Exinde hora poſt meridiem tertia, habitus eſt in concilio electorum de nominatis diligens inquiſitio: atque vt quiſque opinatus eſt, aut extulit nominatos, aut depreſſit. Ea tamen habita eſt Amedei relatio, vt in ſequenti ſcrutinio, quod celebratum eſt quarto nonas Nouembris, ipſe Amedeus vnam de viginti, ac deinde in tertio vnam, & viginti, & rurſus in quarto vnam, & viginti voces habuerit: quia tamen nullus adhuc duas habere partes compertus erat in omni ſcrutinio, exuſtæ ſunt ſchedulæ. Cumq; ad electionem Summi Pontificis vna dumtaxat vox deſideraretur, multiplicari orationes, & augeri deuotiones placuit, vt dignaretur Deus in vnum concorditer vota dirigere, qui paſtoralem curam ſuper Dominicum gregem ſuſciperet dignè.

Item in ſequentibus.

LXIIII. Inquiritur in eius vitã, & mores. Quæ electionẽ eius diſſuaderẽt.

Et quia proximior alijs Amedeus Romano Pontificio videbatur, habiti ſunt in cõi ſermones multi de vita, & moribus eius. Et alij non eſſe homini laico cito imponendas manus dicebant, quod videretur omnibus monſtri ſimile, Principem ſeculi ad Romanum Pontificium accerſiri: quæ res nimium Eccleſiaſticis derogat viris quaſi nullum haberent tantæ dignitati idoneum. Alij hominem, qui fuerit coniugatus, cuique proles eſſet, ineptum Sacerdotio exiſtimabant. Alij Romanum Epiſcopũ legis doctorẽ eſſe oportere aſſeuerabant, multiſq; literis præpollentem. Quæ

verba,

Digitized by Google

verba vt audierunt, alij mox aſſurgentes, longè aliter dixerunt. Ac Amedeum quidem, & ſi doctor non foret, peritum tamen & doctum eſſe qui cum aliàs in iuuentute ſua literarum ſtudijs inſudaſſet, non titulos, ſed ſcientiam quæſiuiſſet, eumq; diuinum officium optimè noſſe, & horas canonicas obſeruare, ſeptiesq; dietim domino, dicere laudes. Obiecta refelluntur.

LXV. Encomium Amedei.

Quod ſi de vita, inquit alius, huius Principis edoceri vultis, iam me (obſecro) audite, qui eum & intus, & incute noui: nempe hic homo ab ineunte ætate, ac lacteis (vt aiunt) annis magis religioſè vixit quàm ſæculariter, parentibus quidem obediens, & pædagogis obſequioſus: ſemper autem Dei timore imbutus, nec vnquam aut vanitati, aut laſciuiæ operã dedit, nec vnquam puer de domo Sabaudiæ natus tantam præ ſe indolem, aut ſpem tulit. Quibus ex rebus qui eum intuebantur, magnum ſibi aliquid portẽdebant. Nec fefellit opinio, ſiquidem, vir poſtquam adoleuit, animum ſemper ad alta leuans, apud inclytæ memoriæ Sigiſmundum Cæſarem forenſi certamine Gebennenſem euicit Comitatum, moxq; deinde familiam ſuã honoribus cumulans, Ducales ſuſcepit infulas: Ac ſi ſcire cupitis eius regimen & quale, & quantum fuerit, illud primũ cognoſcite, virũ hunc poſt obitũ Patris, iã annis circiter quadraginta regnaſſe: cuius tempore regina virtutum ſemper Iuſtitia floruit. Audiens enim per ſe ipſum ſubditos, nunquã vel inopes opprimi, vel circumueniri imbecilles permiſit. Ipſe pupil-

Pueritia ingenua.

Adoleſcentia exercita.

Iuſtitiæ ſtudium.

lis tutor, ipſe viduis aduocatus, ipſe pauperibus protector fiebat: nunquam in territorio ſuo, aut rapinis locus, aut latrocinijs patuit: diuites, ac pauperes æquali iure apud ſe habebat, nec terricolis oneroſum, nec aduenis importunũ ſe exhibens: nullaq; in patria grauis exactio pecuniarũ fuit, ſatis ſe diuitem exiſtimans, ſi Patricolas abundare cognoſceret: ſciens quia boni paſtoris eſſet non deglubere oues ſuas, ſed tondere. In eo tamen præcipuè ſolers exhibuit ſtudium, vt & pace ſubditi eius fruerentur, & nulli ſibi finitimi cauſam ſuccenſendi haberent. Quibus artibus non ſolum paternum dominium tranquillè gubernauit, ſed alia quoque ſpontè ad eum venientia ſuper adiecit: nulli vnquam intulit bellum, illato vero reſiſtens ſemper de pace magis, quàm de vindicta cogitauit; & hoſtes, & ſingulos beneficio potius vincere, quàm gladio ſtuduit. Vxorem vnicam duxit, eamq; virginem, & nobilem, & formæ, & prudentiæ admirabilis: familiam omnem ſuam non ſolum manus, ſed oculos etiam abſtinentes habere voluit: fuit in eius domo ſumma honeſtas, ſumma obſeruantia morũ, & in ſæculari palatio clauſtralis obſeruabatur religio. Ac vbi thori conſors vitam commigrauit in aliam, vbi Ducatum eius firmatum, & ad poſteriores ſine controuerſia venturum perſpexit, animum, qui ſemper religioſus, & dedicatus fuerat, patefecit, & qualem in corde geſtaret voluntatem demonſtrauit. Contempto namque ſæculi faſtu, omnique pompa mundiali deſpecta, vocatis ſecum

Caritas in ſubditos.

Pacis Amor

Domeſticæ curæ.

Vitam ſolitariam inſtituit.

cum chariſſimis amicis, in heremum conceſſit: vbi conſtructo miræ deuotionis, & artis Monaſterio, in ſeruitiũ Dei ſe relegauit, & tollens Crucem ſuam, ſequutus eſt Chriſtum. Quo loci per plures annos conuerſatus, ſingularis ſanctimoniȩ dedit odorem: veſtes quidem non alias induens, niſi quæ poſſent frigus arcere, epulaſq; non alias ſumens, niſi quibus pelli fames valet: vigilanſq; ad plurimam noctem nullam vnquam diuini officij horam neglexit: Cumque ibi pulcherrimum Deo, & Beato Mauritio ſacellum conſtruxiſſet, & honorificũ Sacerdotum collegiũ ordinaſſet, diebus illic ſingulis tres Miſſas, duas quidẽ legi, vnã autem decantari audiuit: tantus illo in Monaſterio ſeruatus eſt rigor diſciplinæ, tanta honeſtas, tanta religio, vt nuſquam ſub cœlo putem, aut ſanctiorem, aut deuotiorem inueniri locum. Quocirca nõ nouiter (vt quidam ante ſentire ſunt viſi) hic Princeps ad Eccleſiam uenit, qui natus Chriſtianus, ex progenitoribus iam mille annis, & ultra Chriſtianis nunc Deo in Monaſterio ſeruit.

Pietatis exercitia.

Tribus quotidie Miſſis deuotẽ adeſt

LXVI. A filijs non timendũ, ſed bene ſperãdum.

Illud autem mihi riſu magis, quàm reſponſo dignũ videtur, quod de filijs eſt obiectum; etenim cur filij, præſertim natu grandes Pontifici Patri ſint impedimento? Nunquid ait ſcriptura: Væ ſoli, quoniam ſi ceciderit, non habet ſubleuantem ſe? hoc imputari Principi modo non poterit. Sunt enim illi filij duo, & forma, & ingenio admodum præſtantes. Quorum alter Princeps Pedemontium, alter Comes eſt Gebennenſium. Hi patriam Sabaudiæ, abſente patre, gubernabunt,

Digitized by Google

indigentique ſibi auxilia ſubminiſtrabunt. Iam enim regere, ac præeſſe populis didicerunt: En quid mali hoc eſt, habere Romanum Antiſtitem potentes filios, qui Patrem contra Tyrannos iuuare queant? Proh Reuerendiſſimi Patres; ſanè quo magis huius peruerſi temporis procellam intueor, quo magis anguſtias animo euoluo, quibus Eccleſia in hac noſtra tempeſtate percutitur, eò magis non vtile tantum, ſed neceſſarium eſſe arbitror, hunc ipſum eligi Principem: exiſtimaboq; miſericordiam Domini ſuper nos factam, ſi eum videro huius cymbæ ſuſcepiſſe gubernaculum. Conſiderate (oro) pauliſper: quibus in terminis ſumus, quibus anguſtijs premimur, quibus periculis agitamur? quis Principum eſt huic ſacro Concilio obediens? Alij nec Cōcilium hic eſſe fatentur, nec mandata noſtra ſuſcipiunt: alij verbo hic eſſe Concilium dicunt, facto apud Florentiam fore oſtendunt. Quamuis enim verbis, & literis Eccleſiam hic eſſe non negent, promotiones tamen apud Gabrielem depoſitum procurant. Hic eſt ſtatus Eccleſiæ, his procellis nauis illiditur: ſurrexerūt filij impij aduerſus matrem, qui nec ſuſcepti lactis, nec materni laboris memores eam ſpernunt, eam lacerant, eam colaphizant. Quid hic fiendum eſt? nudum ne hominē eligemus, qui noſtris Principibus magis deriſui, quàm venerationi habeatur? non ſunt hodie ſæcula, quæ virtutem reſpiciant: Probitas (vt eſt apud Satyricum) laudatur, & alget: pauper loquutus eſt, & dicunt quis eſt hic? Bona eſt equidē

Eius opes & potentia Eccleſię neceſ-ceſſaria.

virtus,

virtus, ſed multum intereſt ad noſtrum propoſitum, an in potente ſit, an in paupere: vobis eligẽdus eſt gubernator, qui non ſolum Concilijs, ſed etiam viribus nauim regat: validus ventus eſt, niſi & Conſilium bonum ſit, & brachia fortia, frangetur malus, & periclitabuntur omnes. Exẽplũ recens ante oculos eſt, quia virtutem impotentem nihili pendunt Principes. Nunquid maxima virtus hic oſtenſa eſt, qui nullum timentes, aut vitæ, aut bonorum periculum pro veritate Chriſti tandiu pugnaſtis? Debuerant Principes terram deoſculari, vbi greſſus veſtri fuiſſent: quia tamen potentes Prælati, ac famoſi Cardinales à nobis defecerunt, videtis quid Principes fecerint. Aſpicit tamen ex alto maximus, atque optimus Deus talia, hiſq́ue (vt puto) reſiſtet inſolentijs. Sæpius illorum opinioni aſſenſus fueram, qui expedire dicebant, temporale dominium ab Eccleſia ſęcerni. Opinabar namq; & Sacerdotes Domini ad diuina myſteria reddi expeditiores, & Principes ſęculi erga clerum fieri obedientiores. Nunc autem didici, quoniam ridiculoſa eſt ſine potentia virtus, nec aliud eſt Romanus Pontifex ſine patrimonio Eccleſiæ, quàm Regum, & Principum ſeruus. Quod præuidens Diuina pietas Romanam Eccleſiam dotari, per Conſtantinum, & locupletari voluit; vt qui ſpreto ſpirituali gladio, aduerſus fidem, & bonos mores tumultuarentur, potenti brachio poſſent compeſci. At cum hodie terræ Eccleſię, partim per Gabrielem, partim per alios occupentur Tyrannos, prouidendum

dendum nobis eſt, vt virum talem eligamus, qui & recuperare Patrimonium queat Eccleſiæ: & in quo Chriſti Vicarius non contemnatur: cuiuſq; potentię clypeo eorum contumacia conteratur, qui rationem contemnunt, & veritatem. Ad quas res nemo (vt mihi videtur) aptior eſt Amedeo Duce Sabaudiæ, qui alterum in Italia, alterum verò in Gallia pedem habet: cui omnes fere Chriſtianorum Principes, aut ſanguine attinent, aut amicitia fauent: eiuſq; quanta ſit virtus, iam ſupra retulimus. Quid igitur hunc hæreamus eligere? nemo eſt quem magis dari ſibi aduerſariũ Gabriel quàm iſtum timeat. Pereat igitur eo gladio quo putauit. Nemo eſt qui magis pacare Eccleſiam quàm iſte poſſit. Quæritis in Pontifice deuotionem? nemo eſt eo deuotior. Quæritis prudentiam? iam intelligitis ex anteacta vita quis ſit. Quæritis iuſtitiam? Populus eius eſt teſtimonio: ſiue potentiam, ſiue virtutem efflagitatis, hic omnia ſunt: quid moramini? Agite (obſecro) bonis ominibus hunc eligite: hic fidem augebit, hic mores reformabit, hic autoritatem Eccleſiæ conſeruabit, hic aduerſarios reprimet, hic pacẽ Chriſtiano populo condonabit. Non audiſtis eos, qui de futuris prædicant, has fluctuationes Eccleſiæ prænuntiantes, annum qui iam inſtat quadrageſimum, his terminum tribulationibus aſſignare? nunquid iamdudum audiſtis Papam his temporibus eligi debere, qui conſolaturus Sion omnia ponat in pace? & quis erit (obſecro) ille, qui talia queat implere, niſi iſtum aſſumamus? Cre-

Peroratio.

dite

dite mihi, ſcripturas impleri oportet, & trahet (vt ſpero) animos veſtros, etiam ſi nolimus, Deus: tamen vos quod rectum, & ſanctum eſt volentes potius agite.

Hæc cum ille dixiſſet, maxima electorum pars ſibi fauendo arriſit, eamq; habuerunt verba efficaciam, vt ſequenti ſcrutinio perfecta res ſit. Nonis enim Nouembris dum clerus Ciuitatis circa conclaue cum Reliquijs ſanctorum ſtaret, & proceſſio Prælatorum Spiritus ſancti gratiam inuocaret, hora circiter ante Meridiem decima, aperto ſcrutinio, & facta collatione (vt moris eſt) numeri ad numerum, compertum eſt, Amedeum Ducem Sabaudiæ religioſiſſimum Principem, iuxta decretũ Concilij, in Papam fore electum, ſexq;, & viginti voces in eum concurrere. Quapropter ſubito inter omnes coorta lætitia eſt, omneſq; rem geſtam ampliſſimis verbis collaudarunt. Quocirca vocatis notarijs, & intromiſſis teſtibus, confectum eſt de ipſa electione chirographum. Qua re ſic peracta, remiſſis teſtibus, horam circiter poſt meridiem primam, ad eas feneſtras, quæ in plateam verſæ erant, factus eſt impetus, omneſque valuæ ſecuribus infractæ, atque illinc miranti populo nouitatem, crux argẽtea eſt oſtenſa. Erat iam tota Ciuitas in platea, omniſq; multitudo in feneſtram tendebat oculos, electum ſibi nominari deſiderans. Tunc Cardinalis Arelatenſis facto ſigno crucis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, electi Pontificis nomen publicauit, & oratione præmiſſa, populo benedixit. Poſtq; hora iã

LXVII. Concordibus votis eligitur.

Publicatur.

tertia,

tertia, prælati cum pluuialibus, & mitris, ac clerus vrbis cum reliquijs ad cãcellos conclauis venientes electores ſimiliter exornatos ad maiorem Eccleſiam reduxerunt: vbi gratiarum actionibus magnis Deo adhibitis, iterum populo, qui erat innumerabilis, publicata per Cardinalem electio eſt: ac deinde cum maxima omnium iucunditate hymnus lætitiæ, & organis, & humanis vocibus eſt decantatus, & congregatio diſſoluta. Quocirca laudent omnes populi Deum, quia paſtorem habemus, qualem ipſe dedit amandum bonis, & malis timendum.

LXVIII. Electores e conclaui egreſſi templum adeũt. *Conc. Baſil. ſeſſ. 39.*

Hactenus Aeneas, quid vero deinceps fecerint Patres ex ipſorum verbis intelligemus. *Poſt varia ſcrutinia tandem*, aiunt, *compertum eſt Religioſum, & nobilem virum Amedeum Ducem Sabaudiæ in ſolitudine Ripalliæ Gebennenſis Diœceſis, iam à pluribus annis in virtute continentiæ honeſtè conuerſantem, & virtutum Domino in ſpiritu humilitatis, ac ſimplici, & humili habitu deſeruientem, in Summum Pontificem vniuerſalis, & Romanæ Eccleſiæ eſſe electum, iuxta præfati decreti noſtri 37. ſeſſionis diſpoſitionem. Quæ quidem electio poſt modum aperta feneſtra Conclauis, fuit per prædictum dominum Cardinalem Arelatenſem publicè nuntiata, decantatoque Te Deum laudamus, per omnes ſupra dictos ad eligendum deputatos concorditer ſuper electione ipſa Deum glorificantes, & orationibus conuenientibus ſubiunctis, ipſi à conclaui exierunt in pluuialibus, & mitris, alijſq; habitibus condecentibus, prout ſtatui vniuſcuiuſque competebat, concomitantibuſque Prælatis, & alijs ſuppoſitis huius ſacri Concilij, ac proceſſionibus*

Digitized by Google

ceſſionibus omnium Collegiorum, & Conuentuum huius Ciuitatis Baſileenſis, cum reliquijs, & decentibus ornamentis, populiq; multitudine copioſa, Eccleſiam maiorem Baſileenſem adierunt, vbi ipſi Prælati, & alij de ſacro Concilio vnanimiter Deo gratias retulerunt. Iterato que ſæpè dictus dominus Cardinalis Arelatenſis in ambone, præſentibus omnibus electoribus deputatis, & in hoc conſentientibus, atque id ipſum approbantibus, retulit, quomodo ipſa electio, ritè, & canonicè fuerat celebrata, Notarijs Apoſtolicis, qui in conclaui fuerant etiã idem atteſtantibus. Quæ omnia conſiderans hæc ſancta Synodus, & ſpem magnam gerens in Domino, quòd præfatus Amedeus pro ſapientia, experientia, iuſtitia, clementia, & cæteris virtutibus ſuis plurimos fructus ſalutis efficiet in populo Dei, fidem conſeruando, mores reformando, pacemq; componendo inter Principes Chriſtianos, atque populos, velut ſanctitatis amator, & pacis cultor, qui cum omnibus Pacem, & cum nullo differentiam, aut diſcordiam habere famatur, domui ſuæ benè, & laudabiliter præpoſitus, grandiumque populorum prudentiſſimus gubernator, & in rebus Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus non mediocriter exercitatus, habita ſuper hoc in quatuor deputationibus omnium ſuppoſitorum huius ſacri Concilij concordi, & vnanimi deliberatione, & demùm in generali congregatione concluſione ſubſecuta, ipſam laudat electionẽ, recipit, & approbat, & ex abundanti, & ex certa ſcientia hoc præſenti decreto ratificat, & confirmat, declarans eundem Amedeum abſque vlla exceptione ab vniuerſali Eccleſia teneri, haberi, & reputari debere electum in verum, & legitimum ſummum & Romanum Pontificem. Et hoc ipſum per præſentis

Iterum publicatur electio.

Synodus electionẽ confirmat.

decreti publicationem ad notitiam volumus deduci cunctorum. Datum in Seſſione noſtra publica, in maiori Eccleſia Baſileenſi ſolemniter celebrata xv. Kal. Decēbris Anno à natiuitate Domini 1439.

LXIX. Legati ad Amedeum miſſ. ſeſſ. 40.

Poſt cuius quidem decreti publicationem præfata Synodus dilectiſſimum Eccleſiæ filium Ludouicum tituli S. Cæciliæ presbyterum Cardinalem Arelatenſem vulgariter nuncupatum, & de latere, & alios Legatos, & Oratores ſuos, videlicet pleroſque Epiſcopos, Abbates, magiſtros, & doctores iuris diuini, & humani, nobilem virum Ioannem, Comitem in Teyrſtein, Protectoris dictæ Synodi Imperiali autoritate deputati vicegerentem, & certos milites ad eundem electum tranſmittendos duxit, vt ipſi electionem præfatam præſentarent, & conſenſum eius expoſcerent, & requirerent, iuxta formam in decreto 37. ſeſsionis præfatæ Synodi ſtatutam, & ordinatam. Quibus quidem Legatis, & oratoribus in præfati electi præſentia conſtitutis, ipſumq; præſentato ſibi (die videlicet Iouis decimo ſeptimo menſis Decembris Anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono) decreto electionis prædictæ ex parte eiuſdem Synodi ſupplici precum inſtantia repetitis vicibus requirentibus, quatenus pro conſolatione Eccleſiæ Dei, in maximis, his temporibus, aduerſitatibus, & tribulationibus cōſtitutæ, electioni huiuſmodi, acquieſcere, & conſenſum præſtare, aliaque ad quæ iuxta decretum 37. ſeſsionis huiuſmodi tenebatur, facere, & adimplere dignaretur: idem electus tūc in magna (vt cernebatur) ſpiritus anxietate cōſtitutus, mærore compreſſus, cùm hinc deſiderium quietis, cui ſub ſuaui contemplatione depoſita temporalium negotiorum cura vacare delegerat, in ſolitudine

Amedeus reluctatur.

tudine prædicta retraheret, & humanæ conditionis infirmitas oneris, & laboris magnitudinem refugeret, hincq; vniuerſalis Eccleſiæ autoritas, & Reipub. neceſſitas impelleret: & licet diutius trepidauerit ignorans quid conſultius ageret in præmiſsis, poſt multiplices ſeorſum cũ grauibus perſonis, habitas conſultationes, metuens etiam (vt dicebat) ne ipſius ſic ad vniuerſalis Eccleſiæ, & Reipub. miniſterium neceſſitate cogente vocati, contradictionis reluctatio diuinam contra ſe indignationem prouocaret, & grauioris forſan diſpendij in Eccleſia Dei, occaſionem induceret, nõ honoris, aut temporalium rerum cupidine ductus, ſed obſequendi neceſſitate impulſus, & affectu publicæ ſalutis procurandæ in humilitatis ſpiritu tanti oneris ſarcinæ humeros ſuppoſuit, & ſe Apoſtolicæ ſollicitudinis iugo ſubmiſit, electioniq́ue de eo factæ genibus flexis, exortisq́; lacrymis etiam infra ſtatutũ ad hoc in decreto 37. ſeſſionis huiuſmodi terminum ad laudem Dei omnipotentis deuotè conſenſit, & humiliter acquieuit, ac per dictum Cardinalem, quo vocari vellet nomine interrogatus, (prout moris eſt in Romanum per tempore Põtificem electo) Felix nomen duxit ſibi eligendum, chlamyde & caputio, quibus tunc vtebatur, depoſitis, etiam genibus flexis, profeſſionem iuxta præfatæ 37. ſeſſionis continentiam, atq; formam emiſit, & propria manu ſcripſit, die, & anno ſuperius expreſsis.

Vrgetur à legatis etiã intentata ira cęleſti.

Gemebundus aſſentitur.

LXX. Inauguratur.

Quibus peractis Cardinalis, alijq́; legati, & oratores prædicti iuxta commiſſionem, & poteſtatem eis traditam, ipſum electum, depoſitis ſibi indumentis conſuetis, per traditionem veſtis albi coloris, & annuli, de Papatu inueſtierunt, & alba, pluuiali, cæterisq́; ornamentis Papalibus congruentibus induerunt, & in Cathedra poſue-

runt ipſe Cardinalis, aliĳque Epiſcopi, Prælati, & Principes, Comites, Barones; & nobiles reuerentiam, & obedientiam Romanis Pontificibus exhiberi ſolitas ſibi exhibentes, præcedente in proceſſione ſolemni cruce, more Papali (vt decuit) ad Eccleſiam Monaſterij Sancti Mauritij ordinis S. Auguſtini in ſancta ſolitudine conſtitutam proceſſerunt. Et dum ipſe electus fuit ante altare proſtratus diu orauit, & hymni Te Deum laudamus, decantatione finita, & Paternoſter, & aliĳs ſuffragĳs, & Collecta conſuetis per dictum Cardinalem dictis, eundem electum inthronizauerunt, ipſum ſuper altare maius dictæ Eccleſiæ eleuantes. Demum ipſe electus adſtantibus ibidem ſolemnem benedictionem dedit, & indulgentias conceſſit, in his omnibus decentibus, & congruis ſolẽnitatibus obſeruatis. Quæ quidẽ præmiſſa oĩa ſex notarĳs publicis, & decem ad hoc ſpecialiter requiſitis teſtibus, pleriſque prælatis, Principibus, Comitibus, Baronibus, nobilibus, magiſtris, doctoribus, & aliĳs inſignibus, & notabilibus viris ibidẽ præſentibus, & ita atteſtantibus geſta fuere, prout inſtrumentis publicis, quorum tenores ipſa Synodus præſenti decreto habet, & haberi vult pro ſufficienter expreſſis, plenius continetur.

LXXI. *Quis tum Christiani orbis ſenſus.* Hæc Romam allata, & toto Chriſtiano Orbe diffuſa, Eugenium terrore, Eccleſiam vniuerſalem ſollicitudine, fideles anxietate impleuerunt. Tametſi enim dubitare iam nemo poſſit quin Eugenij Põtificatus fuerit legitimus, ac proinde minus valida Felicis electio, ea tamen erat illorum temporũ facies, quæ doctiſſimis, integerrimiſq; obſcura, & perplexa faceret omnia: reliquis prout, vel diſcordĳs imbuti, vel auditionibus præoccupati, certiora

certiora videretur oſtendere. Non alius per eos dies ſermo Principum, priuatorumúe aures domi, foriſúe tenuit, nec licentiùs vnquam ſcripturientium libido in famam ſummorum virorum laſciuijt, hic incredibilibus, & in miraculum corruptis narrationibus vulgi auiditatem paſcere, ille atrocibus inuentis tanto faciliùs populũ inlicere quanto immania quęque citiùs diuulgantur, & veris ante habentur. Camerinam hanc non moueo, quæ vtinam diutiùs quàm par fuiſſet ſuo fœtore Chriſtianam Rempublicam non impleuiſſet. Hoc agam, quod ab initio propoſui, vt Eugeniũ venerer, & Fęlicem ab ijs vindicem calumnijs, quibus illum malè ſani homines impetiuerunt. Atque, vt via, & ratione procedam.

Eugenius reuera ſemper Pontifex verus, Amedeꝰ tñ innocens.

LXXII. Amedei Innocentiã, q̃ aſtruant.

Illud in primis velut certum, indubitatumq́ne mihi ſumam, conſtantem eſſe omnium Theologorum ſententiam, licuiſſe ſemper fidelibus quoties in Eccleſia exortum eſt ſchiſma, duobus, vel plurib. Pontificibus Romanam Sedem ſibi vindicãtibus, vel ei adhærere quem legitimum probabilius habent, vel ſi æquè incertum eſt, neutrum determinatè ſequi, ſed paratos eſſe illi obedire, quem Eccleſia legitimum aliquando decernet. Atque hoc quidem adeò cum veritate coniunctum eſt, vt Diuinæ prouidentiæ certo conſilio factum ſit, nonnulli, vt homines vitæ ſanctimonia, & miraculis clariſſimi, quibuſdam conſtantiſſimè Pontificibus innocenter adhæſerint, quos Eccleſia in album ſuorum Rectorum non admiſit: vetera non reuocabo, ſed ea dumtaxat; quæ Amedeo ſpectata.

In dubio licet ei parti adhęrere, q̃ probabilior videtur.

Turrecrema. ſum. de eccle. lib.4 p.1.c.14 Sylue. v. ſchiſma ... ſpecialiter de re.

Nõnulli sãcti pſeudo Põtifices coluerunt.

Certè

Certè Beatiſſimus Iuuenis Petrus Lacẽburgicus virtutibus, & prodigijs propè infinitis quàm Imperatoria ſtirpe illuſtrior, Robertum Geneuenſem (cui in ſua obedientia Clementi ſeptimo nomen erat) non modo ſemper vt legitimum Eccleſiæ Romanæ Præſulẽ coluit, ſed ab eo dignitatibus ornari ſe paſſus eſt, Canonicus primùm Pariſienſis eius autoritate factus, mox Archidiaconus Carnotenſis, tum Metenſis Antiſtes, poſtremò Cardinalis tituli Sancti Georgij ad velum aureum: tot, tantiſq; interea clarus miraculis, vt magni ad eum vndique concurſus fierent, cumq; Auenione, vbi ſedebat Clemens, anno ſalutis 1387. ad meliorem vitam conceſſiſſet, tantũ eius meritis Deus tribuit, vt intra proximum ab eius felici trãſitu bienniũ nongẽta ſexaginta quatuor miracula ab eo edita in publicas tabulas ſit relatum; hodieque magna veneratione ſanctiſſimæ eius exuuiæ apud Cœleſtinos eiuſdem Ciuitatis coluntur. Quid ſplendidiſſimum illud Dominicani ordinis lumen S. Vincentius Ferrerius? an nõ clariſſimis coruſcabat miraculis, etiam tum cum Petro Lunenſi, (qui ſe Benedictum XIII. vocabat) à confeſſionibus erat, eiuſq; Apoſtolici Palatij Magiſter? vt in eius vita Petrus Ranzanus, & qui eum deſcripſit Bzouius pluribus commemorant. Quid fęliciſſima Virgo Coletta, quã Deus ad inſtaurandum Sanctæ Claræ ordinem in fœda collapſum, vnam ex omnibus delegerat, quàntis cœlitus aucta eſt beneficijs? quàm raris illuſtrata prærogatiuis, illo ipſo tempore, quo Antonium à

Chalan-

B. Petrus Lucẽburgicus.

Molanus in natal. SS. Belgij ad 6. non. Iul.

S. Vincẽtius Ferrerius.

Tom. 15. ann. Eccleſ. Ann. 1419.

B. Coletta.

Chalanco eiuſdem Benedicti à latere Legatum ad Chriſtianiſſimum Francorum Regem Pariſijs adibat, vt per eum ſibi liceret ijs exire ſeptis, quę nuncupato voto ſibi præſcripſerat? Num eundẽ Benedictum, pręeunte Blancha Sabaudica Geneuenſi Comite, Auenionem adijt, eoque Auſpice vota emiſit quibus D. Claræ Regulam profiteretur, Religioſo flamine capiti eius ab eodem impoſito? Certum igitur eſt non ideo vexandam eſſe alicuius conſcientiam, quod ei Pontifici pareat cuius ad eam dignitatẽ ſit ambiguũ ius, modo temerè illi non ſe addicat. Quare non erat cur tãtoperè Amedeo deinceps nonnulli inſultarent, quod Archipræſulem Florentinum S. Antoninum ſibi aduerſantem haberet. Cur enim Amedeus nõ crederet idem illi, quod pleriſq; ſanctitatis laude clariſſimis contigiſſe. vt zelo erraret, qui ſecundum ſcientiam non eſſet? vitia, vtcumq; errores, niſi cum homine non exuimus.

Iacobus Fodereus in vita eius, & in Hiſtor. Prouinciæ S. Bonauenturę ex 3. p. chron. S. Franc.

S. Antoninus Amedeo nihil officit. 3. par. tit. 22. c. 10.

LXXIII. Vitio elect' poteſt aliqñ innocenter electioni cõſentire.

Ad hæc certum quoque eſt tum cum paſſim ambigitur an is, qui ſe pro Pontifice gerit, dignitatem illam vitio ſibi arroget, illum nequaquam peccaturum, qui moderatoribus conſcientiæ ſuæ grauibus, & idoneis dicto audiens, in electionem cõſentiet, quam illi ſinceram, probamq; iudicabũt. Ita factum eſt, vt Gregorius ſextus, & Clemens ſecundus Pontificatũ ritè tenuiſſe credantur, licet inuito Benedicto nono, cui tamen vt vero Põtifici diu Eccleſia vniuerſalis auſcultarat: taceo reliquos, ne vulnera obducta refricẽ. Ac tametſi, vel errore præcipites, vel prauis cupiditatibus

incenſi

incenſi ferrentur electores, dum omnis ab electo temeritas abeſſet, non minus Deo gratus exiſteret. Hic Doctorum omnium ſenſus: Reliquum igitur eſt, vt videamus, non quidem, an Baſileenſes à flagitio fuerint immunes in his, quæ aduerſus Eugenium ſtatuerunt; vt enim plures temporum illorum iniquitas facilè abſoluerit, fieri certè vix potuit quin in aliquibus ſchiſmatis huius culpa hæſerit: vt vt ſit, in illos nunc minimè inquiro, id meditor, vt in medio ponam Amedeo non fuiſſe integrum poſt hæc tempora, vel in Eugenio perſonam Pontificis agnoſcere, vel de ſuæ electionis integritate dubitare, ac proinde immeritò tanquã noxæ alicuius reum ob Pontificiam dignitatem acceptatam ab inuidis poſtulari. Quod vtique compertiſſimum erit, ſi docuero, primùm quàm validis adductus fuerit argumentis, ut Eugenium Pontificatu lapſum ſibi perſuaderet. Deinde quã multa, minimèq; obſcura legitimæ electionis habuerit documenta.

Electus defenditur nõ itẽ electores

LXXIV. Quænã Amedeo pſua derẽt Eugeniũ Iure depoſitum. *In cqrou. Au.* 1431.

Principia Pontificatus, haud ſatis moderatè Eugenius habuiſſe ferebatur; adeo vt Philippus Bergomenſis (quamquam cætera in laudes eius effuſus) & Platina dicere non dubitarit *eum diuina, humanaque omnia perturbaſſe*. Accedebat Franciſci nepotis intemperantia, cuius inuidia flagrabat Pontifex, hinc ſecreta primùm odia, dein vagi rumores, poſtremò contemptus, ac ferè vno tempore ſubditorum omnium diſceſſio, initio à Romanis facto violentas manus inijcere in eum parantibus, ni cucullo inducto fugam maturaſſet,

Eugenius omnibus inuiſus.

quo

quo comperto fremere populus, veſtigijs hære-re, ac tantumnon telis opprimere cymba ſe pro-ripientem, *inclamantes furem, prædonem, ac pedico-nem*, ait Ciaconus, ac largis probris odium ex ſa-turantes. Nec minus infeſtos Bononienſes, re-liquoſque Eccleſiaſtici ſtatus populos expertus eſt, vt minimè mirum ſit externis eum parum be-neuolis vſum, qui ſuis adeo eſſet exoſus. Aſſi-duis igitur probris, cõtumelijs, maledictis, omni-buſq; dehoneſtamentis, quæ oris humani duritia extudit oneratus, Patribus qui Baſileæ cõuene-rant monendus, atque ad officium reuocandus viſus eſt. Verum ſiue illi plus æquo ſibi arroga-bant, ſiue ipſe nondum ſatis domitas habebat cu-piditates, monita illa morbi irritamenta potius fuere, quam leuamenta. Cætera quæ deinceps conſequuta, Baſileenſibus Concilium efferenti-bus, Eugenio contra annitente ſatis ſuperque commemorata ſunt: ſanè conſtat Imperatorem, Francorum, Hiſpaniarumq; Reges, omneſq; fe-rè Principes Chriſtianos, famoſiſſimaſq; toto or-be vniuerſitates adeo malè de Põtificis cauſa ſen-ſiſſe, vt tandem manus dare, & Concilij Iudicium ſubire ſit coactus. Hæc Amedeum latere nõ po-terant, quo nemo in tuẽda Eugenij autoritate, ſi-cuti vidimus, vel promptior, vel ſtudioſior exti-terat: poſtquã igitur ad extrema ventum eſt, quid mirum ſi Amedeus ea de Eugenio tandem credi-dit, quorum vniuerſam prope Europam autorem habebat? hoc poſito fundamento, reliqua facile ſuperſtruebantur.

In Eugen. 4. Plat. &c.

Seſſio. 16.

Digitized by Google

LXXV. Quibus argumẽtis adducebatur, vt crederet Concilium Baſileẽſe legitimũ eſſe.

Etenim ita diſſerebãt Oratores Concilij cum Amedeum electioni renitentem experirentur, Concilium legitimè fuiſſe congregatum, ad reformationem Eccleſiæ in capite, & in membris, prout in ſanctiſſima Cõſtantienſi Synodo fuerat decretum: Eugenium, qui caput erat, præ cæteris reformatione indiguiſſe, vt qui in ea prorupiſſet ſcandala, quæ Chriſtiani nominis dignitati vehementer officerent; nihil intentatum Patres reliquiſſe, vt eũ ad reſipicentiam adducerent, obſtinaſſe illum per duos annos, totiſq; viribus anniſum eſſe, vt Concilij autoritatem eluderet, victum tamen precibus Imperatoris, & aliorum Principum, in gratiam cum Patribus redijſſe, decreta ſua reuocaſſe, Concilij acta confirmaſſe, ſéq; ipſum Concilio ſpontè ſubieciſſe; multa deinceps communi conſenſu geſta fuiſſe, ac præter cætera præſentibus legatis Pontificijs, miniméque reclamantibus renouatum decretum de autoritate Concilij ſupra Papam. Verum cum in priſtina relaberetur, in Concilium inſurgeret, nec modo Conſtantienſibus, & Baſileenſibus ſtatutis, ſed ſuis ipſe contra fidem datam aduerſaretur, neque Eccleſiam (quam vniuerſale Concilium repræſentat) audiret, merito eam vindicem expertum, quam Matrem recuſaſſet, pati illum quæ ſibi imprecatus eſſet, ſi pactis non ſtetiſſet. Non eſſe integrum homini Catholico de eius abdicatione dubitare, qui eo ipſo quod duorum Conciliorum Apoſtolica autoritate confirmatorum decreta (quæ velut certiſſimam fidei regulam Eccleſia ſemper agnouiſſent)

Ioan. de Turrecrem. *lib. 2. cap.* 10. negat acta fuiſſe cõfirmata, ſed dũtaxat progreſſum Cõcilii approbatum.

Digitized by Google

uiſſet) pertinaciter reſpuerat; hæreſim ſaperet, ac proinde Pontificio lapſus eſſet exiſtimandus. Neq; nouum, aut inſolens eſſe Pontifices Romanos ſolio dimoueri, Ioannẽ 22. & Gregoriũ duodecimum nuper (vt antiqua taceantur) neq; vitio creatos, neq; alia hæreſi infectos quàm quod Cõcilium ſibi poſt haberẽt, gradu motos, ac licet ipſorum conſenſu factum pleriq; tueantur, certum tamen eſſe neque ſponte conſenſiſſe, & eum qualemcunq; cõſenſum reuocaſſe, idq; alterius mortem, alterius longum carcerem monſtraſſe. Imò ſtatuiſſe Patres Conſtantienſes nihil morari eorum conſenſum, & inuitos, reclamantesq; compellere, itaq; Baſileenſibus præiuiſſe, vt quod nũc exemplis tuerẽtur, poſteris exemplum traderent. His alijsq; machinis viri grauiſſimi iuxta, ac diſertiſſimi Amedeum oppugnabant.

Sed nihil æquè cõmouebat, ac eorum autoritas quorum in Concilio præcipuas fuiſſe partes nouerat, magna enim omnem in partẽ exempli vis, at cum anceps animus opinione perplexa diſtrahitur, pietatis, integritatis, ac eruditionis, ea eſt efficacia, vt ſapientiſſimus quiſq; eos libẽter accedat, quos his virtutibus valere fama celebrat. Aderant autem Baſileæ viri, & vitæ ſanctimonia, & doctrina ſacra paucis illorum temporũ comparandi, quorum ſentẽtijs velut certiſſimis oraculis nemo ferè erat, qui non ſpontaneus acquieſceret. Intereſt Amedei noſtri innocẽtię vt præcipua illius cõſeſſus capita noſcantur. Princeps occurrit Ludouicus Alemanius tituli ſanctæ Cæciliæ Cardinalis,

LXXVI. Electionem legitimã eſſe ſuadebat autoritas, & ſanctitas electorum.

Ludouicus Alemanius Cardina--

his Arelatēſis vir ſanctus.

nalis, Arelatenſis vulgo nuncupatus, quem tanto libentius probris eripio, quāto religioſius eſt cōſecratos, & diuis aſcriptos pia oratione tueri: Tametſi enim in ijs quæ aduerſus Eugenium geſſit erraſſe illum nunc in cōperto ſit, zeli tamen quàm offenſionis plus in eius actionibus fuiſſe auſim affirmare, neque nouum eſt Epiphanios, Chriſoſtomis: Auguſtinos, Hieronymis; Imo Petris, Paulos reſiſtere. Galli non renuentibus Italis tāti viri natales ſibi vindicant, Conſtans tamen eſt apud Salutienſes Subalpinos fama eum gentilem ſuum eſſe, ex oppido S. Michaelis ad Vallem Macram, in quo oppido vicus eſt, itemq; turris, quæ ab Alemannis nomen habēt. Alemannorum autē nobiliſſimam familiam, è Germania, quam Alemaniam vocant (vnde & illis nomen hæſit) ortam eſſe prehibent, eaſq; partes inſediſſe Othonibus in Italia latè dominantibus. Ludouico patèr fuit Antonius nomine, cui frater Franciſcus apud Arelatenſes diuerſatus, vbi etiā nepos Ludouicus melioris literaturæ tyrociniū poſuit: tantoq; deinceps ſtudio libris incubuit, vt inter doctiſſimos illius æui merito cenſeretur: quo factum eſt, vt Amedeus Cardinalis Salutienſis eum in domeſticis habere voluerit, enituitq; inter paucos Auenione, in Aula Pontificia, vbi Maclouienſis Antiſtes, dein Præſul Arelatenſis eſt factus. Petrum Lunenſem, vt fere Galli omnes principio coluit, tergiuerſantem deinde deſeruit, Præcipua apud Alexandrum, ac Ioānem gratia, tantiq; ſub Martino nominis, ob Bononiam conſeruatam, &

Natales eius.

Studia.

Eccleſiæ

Eccleſiæ iura conſtantiſſimè defenſa; vt non modo purpura illum honeſtarit, ſed præcipuis quibuſq; negotijs miniſtrum adhibuerit; tanta porrò vitæ integritate, morum ſuauitate, doctrinæ opinione, abſtinentiæ rigore, aduerſorum tolerantia, ac mentis æquabilitate, vt illius ſolo nomine ſatis ſibi tuti Baſileenſes viderentur. Quid illum Eugenio commiſerit non inuenio, niſi quod vir Eccleſiaſticæ diſciplinæ tenaciſſimus ferre non poterat Eugenij indulgentia in ſuos ſolui eas leges, in quibus condendis Conſtantienſis Synodus tam impensè incubuiſſet. *Cumq; Cardinales ex vrbe profecti* (verba ſunt Pij 2.) *Eugenio infenſi vitã eius, moresq; carperent, accederentq; in horas cateruatim Curiales noui, qui (vt eſt oĩs multitudo maledica, & inimica Principi) Eugenij nomen modis omnibus lacerarent*, non credebat mentiri alios, qui neſciret ipſe mentiri. Hæc veriora quàm quæ cæteri de Duce Mediolanẽſi finxerunt, in cuius gratiam Eugenio fuerit infeſtior: nam vel Aenea Syluio teſte, nemo adeo in Arelatenſem exarſit, vt Mediolanenſis Orator qui nec probra abſtinuit, mira Cardinalis firmitate frontis, quaſi aſſiduis in ſe conuicijs depudere didiciſſet. Non repeto Elogia, quibus eũ Archidiaconus ille Polonus (vti ſupra retulimus) ornabat: id affirmo tanto illum zelo diuini cultus flagraſſe, tanta in proximos caritate, tantòq; in ſe odio incenſum, vt multis miraculis poſt mortem editis teſtari voluerit Deus qualis eius vita fuiſſet, cui ſic mori contigiſſet: autores eius rei habeo non vnos. Pius 2. in libro de Europa ſic ſcribit.

Cur Eugenio infenſus.

Pius 2. in Bulla retract.

Lib. 1. de Concil. Baſil.

Num. 51.

Miraculis clarus.

Sylu.c.42.lib. de Europa.

bit. *In Arelate ad ſepulcrum Ludouici Cardinalis S. Cæciliæ eius vrbis Epiſcopi, quem Baſileæ in conſeſſu Patrum præſidentem vidimus, magna miraculorum opinio orta eſt, & inualidorum frequens vndique concurſus ſpe ſanitatis factus.* Pium ferè deſcripſit Philipp. Bergomenſis in chronico. *Lud.* inquit, *Arelatenſis vir doctiſſimus, atque eloquentiſſimus, qui Baſileenſi Synodo ex conſenſu omnium Patrum præfuit, his temporibus cum multa edidiſſet opuſcula, & quidem digna, non ſine magna ſanctitatis opinione deceſsit. Et eam ob rem ad eius ſepulcrum magna miraculorum opinio orta eſt, & infirmorum magnus concurſus.* Accedit Vernerus illorum temporum æqualis. *Ludouicus Alemandi* inquit, *Epiſcopus Arelatenſis vir ſanctæ vitæ, ac miræ patientiæ, ſingularisq; columna Concilij Baſileenſis, cui diu præſedit, multis coruſcat miracolis.* Totidem ferè verbis Philippus de Lignamine in chronologia ſua quam Sixto 4. Pontifici Summo dicauit. Hinc factum eſt, vt Paradinus in chronico illum *ſcientia incomparabilem, & miraculis editis celeberrimum* vocet, cui conſentiens Vandeburchius, *miraculis mortuum inclaruiſſe commemorat.* Facit cum iſtis Prouincialium Antiquitatum inueſtigatur Noſtradamus, *Ludouicus* inquit, *alemandus Cardinalis Arelatenſis, Archipræſul vir ſanctæ vitæ, & patientiæ inauditæ: ſingularis columna Concilij Baſileēſis celeberrimi, cui diu præſedit, multorum, & grandiū miracnlorum fama illuſtris.* Quæ verò fuerint ea miracula declarat eius Epitaphium Altæcombæ in Sabaudia apud Ciſterciēſes Gallica lingua exaratum. Amabat ſiquidem vir ſanctus locum illum

Chron.lib.15.

In faſciculo temporum.

In Fel.5.

Lib. 3. hiſtor. Sab. c.32.

In Amed.8.

Hiſto. prou. par. 6.

Digitized by Google

velut orationi (cuius erat ſtudioſiſſimus) oportuniſſimum, habetq; vetus traditio ibidem ex corporis ergaſtulo euolaſſe (quod Arelatenſis Eccleſiæ dyptica 17. Septemb. anni 1450. contigiſſe habēt) quamquam ſacræ eius exuuiæ magna ex parte Arelatem deinceps translatæ ſunt, Ciuibus paſtorem ſuum ne mortuum quidem abeſſe ferētibus. Sacellum tamen Altæ combæ illi extructum, nomen eius Beatis inſertum; Inuocato eius Patrocinio vt cōfeſſoris Pontificis, numini in Miſſa litatum eſt in hæc verba, *Sacerdos, & Pontifex, & virtutum opifex Cardinalis glorioſe, Paſtor bone in populo in patria Prouinciæ: qui placuſti Deo viuens Religioſè, intercede pro nobis in cœlis victoriam, ad Dominum Deum cantans melodioſè Alleluia.* In Miſſæ ſacrificio inuocatur.

Ora pro nobis S. Ludouice Cardinalis, vt per te eruamur ab vniuerſis malis.

Oremus.

DEus qui meritis, & interceſſionibus Beati Ludouici Alemandi confeſſoris tui, atq; Vrbis Arelatenſis Epiſcopi, & S. Cæciliæ presbyteri Cardinalis dignaris mortuos ſuſcitare, cæcos illuminare, claudis greſſum, & ſurdis auditum reſtituere, concede propitius, vt omnes, qui eius implorant auxilium petitionis ſuæ ſalutarem conſequantur effectum. Per Dominum, &c.

Hoc autore, & hortatore præcipuo Amedeus ad regimen Eccleſiæ capeſſendum ferebatur, hunc habebat, & dignitatis auſpicem, & ſi renuere pergeret, diuinæ iræ denunciatorem acerrimum; quid

Digitized by Google

igitur mirum ſi Eugenium iure depoſitum, ſeque ritè electum tandẽ perſuaderi ſibi paſſus eſt?

LXXVII. Triumuirorũ ſanctimonia, & maximè Ioannis Segouienſis. *Ciacon. in Felice.*

Secundùm Arelatenſem proximi autoritate fuere Triumuiri, quibus Electorum nominandorum ius Baſileenſes permiſerant, eos Ciaconus inſignis è Dominicana familia ſcriptor, *viros graues, prudentes, eximiæq; probitatis* agnoſcit. Erant autem iſti Thomas Abbas de Dunduno ordinis Ciſterciẽſis, Diœceſis Candidæ caſæ, Thomas de Corcellis Canonicus Ambianenſis, & Ioannes de Segouia Archidiaconus de Villa Viſſoſa in Eccleſia Metenſi, cuius, vt de cæteris taceam, tanta erat autoritas, *vt etiam æmuli eius virtutem hominis, ſummãque bonitatem, vel inuiti reuererentur*, inquit Syluius. Qui ne partibus id elogium dediſſe videatur, longo poſt tempore fato functum his laudibus proſequutus eſt. *Ioannes Segobienſis homo Hiſpanus, moribus, & doctrina illuſtris, qui cum ſummos Theologiæ Præceptores doctrina æquaret ab Amedeo dum ſe Papã dixit Cardinalatus eminentiam accepit, cui ſub Nicolao Quinto renuntiauit*, imo, & Pontificatum Cæſarienſem exuit, vt ſe in paruum abderet Monaſterium, *in quo magnam* (ait Philippus Bergomenſis) *ſanctitatis vitam exegit*. Nec deerant è Religioſis ordinibus viri doctrina, & probitate clariſſimi, quos Amedeus conſcientiæ ſuæ ſponſores haberet: Æneas ſanè commemorat *Nicolai cuiuſdam Burgundionis ex ordine Prædicatorum opera maximè & ſolertia factũ eſſe, vt Eugenius hæreticus haberetur*, quem alibi *virum ingenio, & ſollicitudine admodũ præſtantem* appellat, & cum in eo res eſſet, vt de ſumma con-

Lib. 1. de Côc. Baſil.

Cap. 42. lib. de Europa.

In Chron. An. 1449.

Dominicani & Franciſcani electionẽ Amedei probant. *Lib. 1. de Coc. Baſil.*

concluderetur *Franciſcus de Fuxe, & Andreas Hiſpanus profeſſione Minores, gradu Theologi, auribus Arelatenſis imminebant*: neque tacendus hoc loco Chriſtianiſſimi Regis orator Amedeus Talaruenſis Archipręſul Lugdunenſis, vir (vt in hiſtoria ſua Paradinus aduertit) *Religioſiſſimus, Sãctiſſimus, Doctiſſimus, optimiq; Antiſtitis emẽdatiſsimum exemplar, qui nihil carni, & ſanguini, nihil potentiæ, aut gratiæ daret*: cuius in hac cõtrouerſia quis eſſet ſenſus, aperit Æneas his verbis. *Rogatuſq; ſententiam Lugdunenſis Archiepiſcopus Orator Regius, vir inter omnes, & probitate vitæ, & ſcientiæ copia eminentiſſimus, poſt quã hæreticum eſſe Eugenium pluribus rationibus comprobauit, amarè conqueſtus eſt, illorum ignauiam plurimum deteſtatus, qui talem hominem Romano Pontificio præfeciſſent, omneſque aſtantium animos commouit, vt ſecum calamitates Eccleſiæ deplorarent.*

Idẽ lib. 2. de Conc.

Archiepiſcopus Lugdunẽſis magnę integritatis vir, eandem laudat.

hiſtor. Lugd. lib. 2. c. 97.

Lib. 1. de Cõc. Baſil.

Ita zelus ſuadebat, ſed q non ſecandũ ſcienciã eſſet.

Haud ſcio tamen an maior ab vllo quàm à Nicolao Panormitanorum Præſule, & Ludouico Romano Iuriſconſultis ea tempeſtate longè doctiſſimis autoritas Concilio accederet, quæ Amedeum ad eiuſdem Concilij partes traheret. Certè Pius II. non alio firmiore clypeo Innocentiam ſuam tegere ſe poſſe credidit, quàm ſi tantos obtenderet viros, quibus non acquieſcere quaſi nefas videbatur. *Adiecerunt*, inquit *per id temporis duo viri ex Italia Baſileenſe Concilium, Nicolaus Panormitanus Archiepiſcopus, & Ludouicus Pontanus Apoſtolicæ Sedis Notarius Alphonſi magni Regis Oratores, qui velut duo orbis ſidera, ſeu Pontificij iuris, & totius Ciuilis ſapientiæ duo præcipua lumina, & clariſsima cenſebantur.*

LXXVIII. Panormitanus Antiſtes & Ludouic⁹ Roman⁹ Baſil. Concilũ probant.

Pius 2. in Bulla retractat.

Hi dictis, ſcriptisq; Concilij geſta probabant, Eugenij facta damnabant, atque ita damnabant, *vt nemo* (verba ſunt eiuſdem) *Eugenij errata magis quàm Panormitanus publicaret, cuius maximè opera, & ſuaſu & decretum Monitorium aduerſus eum fuiſſet, & ſuſpẽſio admiſſa*. Nec minus ſtudioſè Ludouicus, quẽ iterum his laudibus Syluius extollit, *Vir totius humani generis gnarus, cuius tanta memoria fuit, vt nulli veterum cedere putaretur: ſiue Simonidem, ſiue Theodectem, ſiue illum, qui à Pyrrho miſſus ad Senatum venit Cyneam, ſiue Carneadem, Seriphium, Metrodorũ, Hortenſium, ſiue qui horum vltimus fuit Lucium Senecam de diuinate memoriæ commendemus. Erat enim memor omnium, quæ ipſe vnquam, aut legiſſet, aut audiſſet, nec oblitus eorum erat aliquid, quæ ipſe vidiſſet. Nec vt cæteri Iuriſconſulti principia legum in diſputando allegabat, ſed quaſi codicem legeret, ſic textum memoriter referebat. vir non Roma tantũ, ſed cælo dignus. Et cui nemo mortalium comparandus videretur, non admirationi, ſed ſtupori futurus omnibus populis ſi, vt æquum videbatur, ætatis tempora duplicaſſet. Sed inuidit fortuna Italiæ, nec tantum ſcientiarum lumen creſcere paſſa eſt: immiſit peſtiferum morbum, virumque vix trigeſimum egreſſum ætatis annum abſtulit*. Hic igitur tantus vir nõ modo tres articulos quibus Concilij ſupra Pontificẽ autoritas ſtabilitur ſua ſententia confirmabat, ſed etiam à Cõcilio miſſus Orator in Germaniam, eos doctiſſimis quibuſq; ſuaſit. *Nec nos fugit* (aiebat Amedeus Lugdunẽ. Antiſtes Chriſtianiſſimi Regis Orator) *Ludouicum Protonotarium has veritates Louanij, & Coloniæ prædicaſſe, eaſq; illinc vniuerſalis ſtudij*

Lud. Romani elogiũ ex lib. 1. de Cõc. Baſ.

Sylu. lib. 1. de Conc. Baſil.

Louaniẽſes, & Colonien. Cõcil. aduerſus Eugeniũ ſubſcribunt.

dij autoritate firmatas reportaſſe. Nec verbis modo, ſed ſcriptis etiam Concilium propugnaſſe ſuadēt illa eiuſdem Syluij verba, cum obitum eius, & Patriarchæ Aquileienſis deplorat. *Iamque duas Concilij columnas proſtratas eſſe dicebant, Protonotarium, & Patriarcham, quoniam iure alter, facto alter veritatem ſynodi defendiſſent*. Imo vero vſque adeo ſe Ludouicus Concilij propugnatorem gerebat, vt Eugenij iuſſu paratæ ſint illi inſidiæ, in quas cum incidiſſet longo carcere marceratus eſt. *Lib. 2. de Cōc.* *Idem.*

LXXIX. Panormitanus, et Ludouicus vacillant, ſed non ſponte.

Neque tamen diffitebor tum Panormitanum tū Ludouicum vacillaſſe, & viſos in gratiam cum Eugenio redire; nam cum veniſſet in ſpem Alphonſus Aragonius (cuius Oratores erant) fore vt Eugenius deſerto Renato Andegauenſi ad ſe tranſiret, Regnumq; Neapolitanum fiduciario iure ſibi permitteret, ſuis Oratoribus ſeuerè mādauit Eugenij partes, quam poſſent acerrimè propugnarent; ſed turpius erat quàm tantos viros deceret tam facilè ſententiam mutare: ne tamen non obſequi viderentur, articulos illos quorum cauſa tota proruperat controuerſia, veros, & iuſtos confirmabant, quod tamen inde neceſſariò conficiebatur, Eugenium abdicari meruiſſe, concedere detrectabant. Quamquam ita molliter Ludouicus, *vt ſatis appareret*, obſeruante Syluio, *nihil magis eum cupere; quàm quod peteret non impetrare*: Et ſanè niſi ita res ſe habuiſſet, nequaquam eo è viuis erepto altera Cōcilij columna (ſicut ſupra dictum eſt) corruiſſe fuiſſet credita. Animoſior in ſpeciem Panormitanus, vt ex crebris eius apud Æneā diſputatio- *Lib. 1. de Cōc. Baſil.*

Digitized by Google

tationibus videre eſt. Cæterum neque de Concilij autoritate dubitare ſe profitebatur, neque id agebat, vt decreta eius antiquarentur, ſed vt Eugenio tempus prorogaretur, idque etiam adeo inuitus vrgebat, vt Syluius aſſirmet *ſola neceſſitate cõpulſum, vt Principi ſuo obediret* ea molitum, *vbi tamen* (Syluius loquitur) *veritas eſſet non ignorabat, nec libenter ei reſiſtebat, ſæpiuſq; ego illum in ſua bibliotheca de ſuo Principe vidi conqueſtum, qui aliorum monita ſequeretur*. Hinc facilè iniuriarum rei tenentur, qui Panormitanum ambitus poſtularunt, vt qui ſe totũ ad Amedei gratiam finxiſſet, Purpuræ conſequẽdæ ſtudio, quique aſſeuerarunt ipſum Amedeo cedere meditanti pertinaciter obluctatum, ne dignitatis iacturam faceret, qua etiam priuatum illum contendunt, tàm vanè, vt compertum ſit quatuor ante annis, quàm Felici cum Nicolao V. conueniret, migraſſe Panormitanum, tantumq; ab Amedeo demerendo abfuiſſe, vt nullus in Cõcilio Eugenij abrogationem diutius diſtulerit. In quo ſanè Amedei modeſtia ſingularis extitit, qui noluit, vt Panormitani virtuti, & meritis legati perſona officeret, quam inuitus ſuſtinuiſſet, maximè cum alioqui Cõcilij doctrinam ſemper eſſet amplexus. Satis igit quis eſſet animi ſui ſenſus Panormitanus aperuit cum Amedeo electo continuo adhæſit; hactenus enim dum reſtitit, legatus videri; deinceps Panormitanus eſſe amauit. Cum igitur Oratores, qui Amedeũ adierant ingentia hæc Panormitanorum, & Romanorum nomina extollerent, premerentq; optimum Principem, ut famam ſuã

illorum

Lib. 1. de Cõc. Baſil.

Paradinus, et Vãderburch. in Amed. 8.

Panormitanus ab Amedeo Cardinalis dictus.

illorum ſuffragijs permitteret, quem amabo non expugnaſſent? maximè cum non iam ſingulos, ſed totas cateruatim Academias obtenderent, quæ vno ore Concilio contra Eugenium ſubſcriberēt, ita enim Ludouicus Romanus è Colonienſi, & Louanienſi, & è Pariſienſi Nicolaus Amici luculentis autoritatibus afferebant.

celeberrimę vniuerſitates ſtant à Baſileenſibus.

LXXX. Antiſtites magni in extremis poſiti Sacramēti religione adhibita Eugeniū reſpuūt.

Ac ne quid omnino deeſſet, buſta quoque ſollicitabant; vt formidine diuini iudicij cogerent, quem humanis rationibus non vincerent. narrabāt enim Epiſcopos Ebronenſem, & Lubecenſem, ac Abbatem Vrgeliaſenſem cum ad ſuos redirent morbo percuſſos non ſatis ſibi conſultum putaſſe, niſi publicè Eugenio renuntiaſſent: *Nam vbi adeſſe migrationis horam ſenſere* (loquor cum Ænea) *compluribus ad ſe viris grauibus accerſitis, corā ipſo Chriſti corpore, quem ſtatim ſumpturi, & ante cuius tribunal intra paucas horas comparituri erant, vos omnes, qui adeſtis, dixerunt, orate Deum, vt illos conuertat, qui Gabrielem pro Summo Pontifice recognoſcunt, quia in eo ſtatu ſaluari non poſſunt, ſe in fide Baſileenſis Concilij morituros profeſſi, abſque vlla trepidatione dormientibus ſimiles ad dominum migrauerunt.*

Lib. 2. de Côc. Baſil.

LXXXI. Comitia in qu b. electus Amede magna ſanctitatis ſpecie celebrata.

Hæc verbis ad terrorem compoſitis viri diſertiſſimi auribus Amedei intonabant, vrgebantque vehementer, multa cumulantes argumenta, quibus diuinam in eius electione prouidentiam elucere cōfirmarent. Et quæ enim vnquam, aiebant, purpuratorum Patrum comitia, vel ſeueriore diſciplina, vel maiore pietate, vel libertate ſecuriore celebrata? quā cōcordibus Patrū ſuffragijs (licet aliquos

in eo

Digitized by Google

in eodẽ cœtu haberet Amedeus infẽſiſſimos) cooptatus? quanto omniũ ordinũ plauſu renuntiatus eſſet? nec defuiſſe euidẽtiſſima diuinæ mẽtis ſigna, quando eo potiſſimum tpis articulo conueniſſent Patres, quo ſanctorũ Reliquiæ toto conclaui circunfuſæ, vna cũ totius populi votis numen propitiarent. Addebant ſatis conſtare Patres eũ elegiſſe quem ſanctiſſimum putarent, quando Ioannem Engoliſmenſem miræ ſanctimoniæ virum prius optaſſent, et deinde Frãciſcum de Mareſme Carthuſienſium Generalẽ Religioſiſſimum.

V. ſup. num. 3. Petreus in Elucid. Chrõ. Carth.

LXXXII Amedeus à temeritate, non ab errore abſolutus.

Tot argumẽtis victus Amedeus niſi Pontificiã Prouinciam ab omni temeritatis labe nitidiſſimus adijſſe credatur, nullus ſanè conſcientijs noſtris ſecuritatis locus ſupereſſe videbitur: quis enim vel plura vnquam humanæ ſapientiæ præſidia adhibuit, vel ſponſoribus vſus eſt locupletioribus quàm Amedeus noſter? Quid igitur? Aliæ ſunt diuinæ, aliæ humanæ ſapientiæ leges, ludit illa in orbe terrarum, & illudit vel oculatiſſimis, ne plus æquo ſibi placeant, tuncq; ſe maximè cæcutire intelligant, cum lynceos habere oculos opinantur: verum vt hoc agnoſcere demiſſi animi eſt, ita errare hominis, ſed neque hic error innocentiam exuit, neque hominem reum facit, imo (quæ diuinæ ſapientiæ laus eſt, vel maxima) felicius ſæpe errant, qui ſe ad eorum, qui vulgò ſapientes habentur nutum totos fingunt, quàm qui præfidẽti audacia nullum in conſiliorum ſuorum cõſcientiam admittunt. Ego ſanè cum Petro Lucemburgico, Vincentio Ferrerio, alijſque bene multis

errare

Digitized by Google

errare malim prudentium monitis acquieſcens, quàm cum pleriſq; caſu potius quàm conſilio bene ſentire. Dabo igitur Amedeo, quod ſanctiſſimis viris contigiſſe, vt innoxio errore hominē ſe eſſe teſtatus ſit, at temere feciſſe, vel culpā cōtraxiſſe aliquam, tam iure inficiabor, quàm id iniuria proterui homines calumniandi libidine cōmenti ſunt. Quanquam autem Amedeus ab omni iniuria tutus proiecti in mare ſcopuli inſtar aſſilientes cōuitiorum fluctus ita ſemper fregerit, vt nulla ſæuitiæ veſtigia tot ſæculis verberatus oſtendat, facere tamen hoc loco nō poſſum, quin ſtrepentes circa illum oblatrātis inuidiæ hirritus cōpeſcam.

Amedeum nōnulli fruſtra calumniantur.

Princeps infremit Blodus, cuius nomine audito ſtatim intelligunt omnes Blandum Mercenarium, tam ſeruiliter quibuſdam aſſentantem quàm maleuolè alios mordentem: Erat is Eugenio ab epiſtolis, eoq; procaciùs in Felicem laſciuiebat, ſpecie fidei in Patronum, re vt in intima eius irreperet. Ignoſcerem nihilominus intemperanti calamo, ſi dum feruebant partium odia, vti facetiarum ſcriptor Pogius, furori indulſiſſet: At cum longo poſt tempore hiſtoriam ſcribebat, cur in eius innocentem memoriam crudeliter ſæuiebat quem Chriſtianus orbis vniuerſus longè magis Pontificatu ſponte cedentem, quàm ſi vel iure retinuiſſet ſuſpiciebat? meminiſſet ſaltem, ſi quid ſaperet, decreti Pōtificij à Nicolao editi quo ſuas, aliorumq; epiſtolas, & quæcunque calente ira in Amedeum ſcripta erant induci, & penitus aboleri

LXXXIII. Blondus Calumniatorū Princeps *Decad.3.lib.10. & Decad.4.lib.1.*

Blōdus decretis Pontificijs aduerſatur.

ri iubebantur. Et quidẽ hoc ſcripto ſatis abundè Amedeo cautum videbatur, cum Blondi, alioruq; maledicta de ſcelere nata, non niſi ſcelere cõſeruentur, ſitq; pro impenetrabili clypeo aduerſus omnia frementiũ conuicia, ſpõgia ipſo à Pontifice Summo illis decreta.

Quod quam ſanctè pręſcriptum fuerit promptum erit, vel ex ipſis criminationibus intelligere quas ad examen vocare non pigebit: has autẽ ex vnius Blondi officina depromam, tum quod eius opilio Pogius fabulis, anilibuſq; deliramentis ſcribendis otium conſumpſiſſe paſſim cenſeatur, tum qđ quæ maximè virulenta apud alios ſparſim extãt, ea Blondus in vnum coacta quaſi validiore conatu expreſſurus in Hiſtoriam ſuam coniecit. Huius igitur machinis diſturbatis, occæcatiſq; tormentis, quidquid eſt apud alios, confoſsum confectumq; putandum eſt, ſic igitur Blondus.

LXXXIV. Blondi primus impetus.

Cum Albertus Auſter Cæſar declaratus arcendis à Panno niæ finibus Turcis intentus, diem obyſſet, congregata apud Baſileam factio Conciliaris, illius liberata metu, in facinus quod tã perditè, tamq; afflictim diu concupierat pro rupit, Amedeo Sabaudiæ Duce in Romanum Pontificem declarato, cuius electionis modum paucis abſoluemus.

Albertum Imp. Baſileenſib. infenſum calumniatur.

Quid ais Blonde? Baſileenſes mortuo Alberto metu liberatos ad Amedei electionem ſe accinxiſse? At quomodo ſibi ab Alberto metuerent, quem Concilij defenſorem habebant, *à quo Baronem magnanimum, & apprimè inſignem Conradum Vuinſpergenſem Protectorem acceperant? Qua ex re* (Syluius loquitur)

loquitur) *vt alienatum ab Eugenio aduerſarij, ſic Patres ſacri Concilij optimam erga ſe fore mentem Cæſaris cognouerunt: quia nec protectorem miſiſſet, niſi legitimũ Concilium reputaſſet, nec rurſus Concilium in Baſilea eſſe putauiſſet, ſi Eugenio fidem habuiſſet.* Neq; verò Protectorem tantum, ſed Oratores etiam in Concilio perpetuos habuit Epiſcopum Lubecenſem, ac Georgiũ *tam literata, quàm armata*, vt ait Syluius, *inſignem militia*. In Cõcilio vero Florentino Burgundionis Ducis Oratores ſubſcripſiſſe lego, Cęſareos non lego, vt vel hinc palàm ſit à Baſileenſibus ſtetiſſe Albertum, Sigiſmũdi deceſsoris ſui veſtigijs inſiſtentem. Sed vnde Baſileenſibus ex Alberti morte animus meditata perficiendi? Eugenium iampridem gradu mouerant, principio Octobris de electoribus deligendis deliberarant, Triumuiris in eam rem tertio id. Octob. deputatis, qui 4. Kal. Nouembr. ad Patres de ſuis ſuffragijs retulerunt, poſtridie, tertio Kal. itum eſt in conclaue, ac poſt ſeptem dies nonis ſcilicet Nouembr. renuntiatus Pontifex Amedeus. Quid interim Albertus? *Hic cum intellexiſſet* (vtor verbis Philippi Bergomenſis) *Turcos Smederonam Raxiæ Vrbem obſidere, ad eam liberandam multo cum exercitu eò proceſſit. Verum morbo diſſenteriæ in via cõtracto, infecto negotio Viennam repetere ſtatuit, ſed in itinere eo morbo affectus, relicta vxore prægnante, confecto teſtamento in villa quæ longa dicitur 6. Kal. Nouẽb. vita deceſſit.* Biduo igitur antequam Patres conclaue ingrederentur vixerat Albertus: vn' igitur Blonde tanta pernicitate nuntios è Pãnonia Baſi-

Baſileenſibus imponit.

In chron. an. 1449.

Mẽdacij tenetur.

leam aduolaſſe, vt Patres de Cæſaris interitu certiores facerent? Ne ſi feſtinantis quidem calami tui pennas addidiſſes, tantum itineris emenſi eſſent. Præproperus es fraudum Blonde, dumq; maturè ringeris, canem te prodis feſtinantem, quæ cæcos parit catulos. Sed perge.

LXXXV. Atrox Blōdi calumnia qua Amedeū ad ſtriges abiegat.

Is etenim (Amedeus) *quem ante proximum decennium multis narraſſe nouimus prædictum ſibi à Phitonibus futurum vt Pontificatu Romano decoraretur, Ducatus, Dominijq; quod poſſideret ingentis curam natis ſpecie reliquit, Anachoritæ vita ſolo habitu inſtituta, etſi remoto ab vrbibus vico, cum paucis nobilibus ſimili opertis pallio deguit, omnia vt erat ſolitus Ducis, atque Domini Prouinciarum munera exercebat.*

E fabulis fidem quærit.

Solemne eſt fabulas texentibus Deum ſemper aliquem è machina deuocare, qui impeditos caſus, & perplexas ambages explicet, neque enim ſpectatorum oculos tenerent niſi incredibilia, & in miraculum corrupta proponerēt. Sentiebat Blōdus frigida fore in vulgus commēta ſua, niſi prodigio aliquo inclareſcerēt. Tireſiam ergo in ſcenam dedit qui præſtigijs ſuis nec opinantes faſcinaret, dum Amedeo tāto ante ſacras infulas ariolatur. At enim Blōde quem nobis mirabiliū iſtorum autorem laudas? *Nouimus*, inquis, nimirum te in Arcanorum ſuorum conſcientiam Amedeus adhibebat, vt hæc nobis ſecreta reſerares? Adeòne, verecundiam omnem proſtituiſti, vt Religioſiſſimum, ſapiētiſſimumq; Principem ſtrigibus implicares, itaq; dementatum effingeres, vt dæmonum artibus gloriaretur? Dolebat tibi crebris

bris toto orbe ſermonibus Amedei ſanctimoniã celebrari,altamq́; animi demiſſionem extolli,quę ipſum in ſolitudinem abdidiſſet; corrumpenda illuſtri mendacio tantæ virtutis fama tibi videbatur, nec difficilè populo imponitur, qui vt plurimum,& in Dominantes iniquus eſt, & eorum Cõcilia ex euentis iudicat, falſiſq; in eos auditionibus ſtatim accedit. Amedeum igitur callidus impoſtor ad Pytones ablegat,infelices Genios ſacrę illius militiæ auſpices facit, quæ à Diuo Mauritio nomen habet, Gauſape Ducem velut larua induit, qua hypocriſim ſuam tegat, ſocios illi tamquam voluptatum emiſſarios adiũgit, totam denique ambitionis fabulam ita exornat, vt omnia inter ſe apta ſatis nexaque videantur, & inualuit apud pleroſque commentum Gobelino referente,incerto autore vulgatum. *Obierat* (inquit) *Vxor Amedei quæ vnica eius fuerat: ſtriges, vt aiunt, futura vanè prædicentes Amedeum adiere, eiq́ue ſummum Pontificatum obuenturum prædixerunt, quod in Concilio deponendus eſſet Eugenius, & ipſe inſtituendus Amedeus ſiue hac ſpe ductus, ſiue ſuopte ingenio repleto quidem charitate, & religione &c.* Modeſtè ſanè, vt qui anteactæ Principis optimi vitæ longè quàm incertis rumoribus tribuendum cenſeret; quapropter rectè paulò infra, *calumniatoribus dumtaxat ſuſpectam fuiſſe mutationem* adiungit, *dicẽtibus Amedeum ſcilicet ſperare Papatum, atq; idcirco heremitam factum.* Verum facile eſt ex ijs quæ ſupra narrauimus ſincerum Amedei propoſitum agnoſcere, quod tanto ante animo præceperat, tantaq; reli-

Lib. 7. comment. Pij 2.

Num. 10. & ſeqq.

 gione

gione perfecerat, publicæ rei, & tranquillitati ſuę in cōmune cōſulturus: Id tota eius vita innocentiſſimé acta id religioſorum hominum amor, diuinarum rerum ſtudium', Monaſteria conſtructa, & tota Ripalliēſis ſeceſſus moles proclamabat, fruſtra tanto molimine excitata, ſi occultæ machinationi tantum obtendebatur. Denique ſpontè laxatur hæc machina hiātibus fraudum cōmiſſuris: aiunt enim ſtriges ei Pontificatum denuntiaſſe, quod in Concilio deponendus eſſet Eugenius. At quomodo *ante decennium* id narrare poterat Amedeus, vt ſibi compertum affirmat Blondus, cum neque Concilium, tunc vllum Baſileæ eſſet. Nec Eugenins in Pontificem electus? Et ſi iam ab initio Concilij venerat in illam mentem Amedeus, cur adeo ſollicitè Eugenij partes fouebat, vt non alio defenſore magis Eugenius ipſe gloriaretur? cur in Patribus cum eo conciliandis adeo ſtudioſè per Oratores ſuos incumbebat? cur potius quem ruentem videbat, non propellebat? cur heremum tunc non cogitabat cum Imperatorem, Regesquè omnes, cum è Purpuratis Patrib. doctiſſimos quoſq;, ac Religioſiſſimos Cōcilium celebrantes, Eugenium damnantes videbat? At ille non niſi integra pace ſe abdidit, exeūte ſcilicet anno ſæculi eius trigeſimo quarto, cúm nonis Februarij eiuſdem anni Baſileēſes in gratiam cum Pontifice redijſſent, vt vel hinc nemini latere poſſit quàm in Amedeum alia omnia cogitantem adſit iniquus, qui ſimulatione pietatis in ſupremam dignitatem graſſatum eſſe ex falſis auditio-

Contradictio euidens in hac calūnia.

Amedeus fine anni trigeſimi noni eſt electus. Martinus principio trigeſimi primi vixit. Eugenius ei ſuffectus Concilium Baſileę aperuit 19. Iulij eiuſdē anni.

Obſeruatio pernecceſſaria.

auditionibus criminatur. Et vero cur Iacobum Borboniũ Hungariæ, & Siciliæ Regẽ paucis ab Amedeo mẽſibus Franciſcanis Patribus poſt oĩum fortunarum ſuarum euerſionem additũ, captandi pariter Pontificatus gratia Religioſam induiſſe vitam ſimiliter confingere non licuiſſet? *Chiffl. 2. par. Veſont.*

LXXXVI. Scriptores Amedeo ætate ſuppares ab omni ambitu eũ abſoluunt.

Sed ne deinceps blandiatur ſibi Blondus dabo illi pro incertis rumoribus quos adducit teſtes locupletiſſimos, qui Amedeum ab omni ſimulatione abſoluant, nec niſi ſanctimoniam in eius receſſu agnoſcant. Princeps erit Pius 2. non ille quidẽ adhuc Concilij fautor, ſed Amedeo è viuis erepto factionis expers. *Cum Amedeus* (inquit) *admirandus adaucto paterno imperio, parta vndique pace formidandus, cumulatis opibus ſapientia plenus, vicinis populis, ac Principibus videretur, relictis Principum, & gloriæ faſtibus in heremum ſe recepit.* *Lib. de Europa. cap. 42.* Cardinalis S. Crucis apud Gobelinũ, *non ſatis admirari, aut collaudare Principis conuerſionẽ poterat*. Ideq; Gobelinus, ſeu veriùs Pius 2. Amedeum *ſuopte ingenio, repleto quidem charitate, & religione, relicto Ducali faſtigio, & omni ſæculi Pompa procul eiecta. gubernatione ſubditorum primogenito commiſſa ad heremum conceſſiſſe* prędicat. *Lib. 7. comment. Py. 2.* Vernerus Amedeo Coętaneus, & illum, vt opinor ſublegens Philippus de Lignamine *Felix* (aiunt) *fuit Dux Sabaudiæ Princeps deuotus, ac ſenex.* *In faſciculo temp.* *In chron.* Ioannes Sabellicus, etſi poſtea mutationem imputat, in ſolitudinis tamen capeſſendæ propoſito nihil niſi ſanctum agnoſcit, *vixerat*, is ait, *annos circiter quadraginta in florentiſſimo Principatu. Subijt inde tædium rerum humanarum, in-* *Ennead. 10. lib. 3.*

ſtituitq;

ſtituitq; heremiticam vitam. Sũpſit, & pallium heremiticum per quæ magnum erat nomen ſanctitatis adeptus. Marius Belga Ludouici 12. Hiſtoricus, *Amatus* (ſic Amedeũ vocat) *in heremo degens per aliquod tempus vna cum decem nobilibus ætate prouectis vitam ſolitariam vixit, prominentem barbam alens, veſtimentum vile indutus, ac clauam nodoſam manu gerens, &c. cum autem ſanctitatis, ac innocentiæ opinione celebris eſſet, à Concilio Baſileenſi Pontifex eſt electus.* Philippus Bergomẽſis illi ętati ſuppar. *Vir certe* (Amedeus) *omnium virtutũ claritate adornatus, quas ob res Imperium ſuum vltra citraq; montes mirum in modum auxit. Qui cum gubernacula ſuæ gentis xl. annis tenuiſſet, parta vndiq; pace, multis cumulatis diuitijs, relictis Principatus ſui gloriæ faſcibus, Ludouico vnigenito* (primogenitum dicere voluit) *Imperio tradito in heremum ſe tradidit, atque recepit, vbi aliquandiu cum ſanctè vixiſſet, tandem Summi Pontificatus honorem accepit.* Nauclerus, *vixerat is* (Amedeus) *annos circiter 40. in florentiſſimo Principatu, ſubijt deinde rerum humanarum tædium, inſtituitq; heremiticam vitam.* Raphael Volateranus, *Sabaudiæ Duces è Saxonũ Ducibus, ac ſtirpe Auguſta originem ducunt annos prope cccc. Inter quos Amedeus ab Imperatore Friderico* (Sigiſmundũ voluit dicere) *Dux primus fuit appellatus, qui defuncta vxore, relictaq; Regni cura Ludouico filio cum paucis ſuorũ ſeceſſit in agrum Gebẽnenſem, ſtudio rerum diuinarũ prope lacum Lemanũ Cœnobio cõſtructo.* eadẽ totidẽ verbis repetit Mũſterus quãquam Catholicis Principibus parum æquus Mutius, & ipſe Sectarius, *Ducatus adminiſtratione relicta, vitam,*

Lib. de ſchiſmat. cap. 14.

Errat in numero ſociorum.

In chron. an. 1438.

Lib. 2. Gener. 48.

Lib. 3. Geograf.

Lib. 2. Geograf.

Lib. 28. chro. German.

tam ſpiritualem contemplatiuam amplexus erat, veſtitu, & tota victus ratione religioſam ducebat vitam. Iacobus Spiegel doctus Auſtriados à Bartholino cõſcriptæ interpres. *Gebennenſem agrum Patrum noſtrorum memoria nobilitauit ſeceſſus Amedei primi Sabaudiæ Ducis, qui deinde ob abſtinentiæ, clariq; nominis famam, inuitus in Concilio Baſileenſi Pontifex factus eſt.* Nec modo vicinos ſanctimoniæ Amedei fama, ſed totam latè Europam peruaſerat, Græcum autorem Laonicum Chalcondilam teſtem habeo: *Ea tempeſtate,* inquit, *Germani Baſileæ erant congregati diſſidentes ſententijs contra Eugenium Pontificem, quem reprobantes crearunt Pontificem nomine Felicem virum inter ipſos in primis ſpectatæ probitatis.* Merito igitur Paradinus in chronico aſſerit, Baſileenſes ideo Amedeum delegiſſe quod *Religioſiſſimum, ſanctiſſimumq; Principem eſſe noſcent,* nec diſſimilia ante eum Champerius, *Nota erat,* inquit, *Patribus pietas ſingularis, & ſanctitas Amedei, ideoque illum Pontificem crearunt, vt Eccleſiæ laboranti ſuccurreret.* In eundem ſenſum recentiores. Vanderburchius, *Eugenio Pontificatu priuato Amedeum ſanctitatis, pietatiſque apud omnis ordinis homines opinione clarum in eius locum ſubſtituunt.* Facit cum iſtis Ioãnes Mariana *Amedeus abdicato Principatu, ac aulæ cultu relicto in heremum abijt purioris vitæ ſtudio incenſus, ſex ſenioribus ex ſuorum nobilitate Comitibus.* Huc pertinent illa Petri Mathæi verba. *Amauerat hunc ſeceſſum Amedeus, vt Mundo illuderet: vt ipſi illuderet mundus illum inde abducit.* Et multo illuſtriora Ioannis Baptiſtæ Pignæ, *Ripalliæ Amedeus ma-*

In commentar. ad lib. 5. Auſtria.

Lib. 6. rerum Turcic.

Lib. 3. Hiſtor. Sab. c. 31.

Champer. in Amed. 8.

In Amed. 8.

Hiſtor. Hiſp. lib. 21.

In neceſſitudinibus Franco Sabaudicis.

Lib. 7. Hiſtor. Eſtenſ.

Digitized by Google

gna demiſſione agebat, & procul à ſæculi curis, vnis ſpiritalibus attendebat. Neque omittẽdus Onufrius. *Amedeus Ducatu relicto, Chriſti amore ſuccenſus ſolitariam vitam elegerat. Hic cælibe ac religiosè viuens à Patribus Concilij Baſileenſis ob multa crimina Pontificatu Romano abrogato Eugenio Quarto in eius locum Pontifex M. eſt factus*, & paulo infra, *Amedeus in ſolitudine Riparia Gebennenſis Diæceſis vitam Angelicam agẽs in Pontificem R. electus eſt*.

Lib. 3. de Pŏtif. & Card. creatione.

LXXXVII. Quid nationes oẽs de heremitica Amedei vita ſenſerint.

Hæc ſunt quæ de Amedeo norunt Itali, Galli, Belgæ, Germani, Heluetij, Hiſpani, Burgundi, Græci, (noſtros enim hoc eſt Sabaudos nequis calumnietur miſſos feci) hæc inquam de Amedeo norunt nequaquam ſuſpectæ factionis viri, feceſſiſſe videlicet illum vt Principum, & gloriæ faſtus relinqueret, vt ſe ad Deum conuerteret, vt in heremo ſanctè viueret, vt rerum diuinarum ſtudio ſe traderet, vt vitam ſpiritualem contemplatiuam amplecteretur, vt veſtitu, & tota victus ratione religioſam duceret vitam: idq; Chriſti amore ſuccenſum, charitate, & Religione motum, ac tædio rerum humanarum, & purioris vitæ ſtudio, vnde merito apud oẽs audiret Princeps deuotus, ſpectatæ probitatis, ſanctitatis, & innocentiæ opinione celebris omnium virtutum claritate adornatus, abſtinentiæ fama clarus, Angelicam vitam agens. vnde igitur habet Blondus, vnde nouit dęmonis artibus ambitiosè factum eſſe, quod totus orbis ſanctiſſimè, Religioſiſſimeq; factum teſtatur, & ſuſpicit? ſed illum porrò audiamus.

LXXXViij. Blondus Amedei geſta in Concilio criminatur.

Concilio autem Baſileenſi interea quandiu Romani Pontificis

ficis Eugenij conſenſu celebratum fuit, paucos præſtitit fauores, ſed poſtquam Pontificem, & orbis Chriſtiani Principes illud tanquam pernicioſum deteſtari vidit, omnes eo augendo, manuque tenendo adhibuit vires, adeo vt quibus temporibus proximo ſuperiore exacto biennio ſuſpenſionis ab adminiſtratione primum, deinde priuationis machinationes in Pontificem ſunt intentatæ, impulſi à Duce Sabaudiæ Clerici aliorum qui apud Baſileam interfuerunt impietati, numerum æquauerint.

Quam omnia ad inuidiam, ad fraudẽ, ad calumniam ornata? Sed illud primum à te quæro Blõde quãdiu de Pontificis conſenſu celebratum, hoc eſt, quandiu legitimum fuerit Concilium? an vſque ad proximum ante Eugenij abdicationem biennium vt innuere videris? cur igitur decreta reſpuuntur, quæ perplures inante annos in eo edita leguntur? quãdo igitur deeſſe illi autoritas cępit? an cùm illi tres articuli promulgati ſunt, qui Pontificiæ autoritati detrahũt? At ſtatim ab exordio Concilij ſunt promulgati, nunquam igitur legitimo Concilio fauit Amedeus. An cum Eugenius ſuos legatos reuocauit? At reuocationem hanc damnauit Eugenius, & irritam eſſe iuſſit: ſed quando Amedeo fauere cœpiſti, cùm eius beneficia cõmemoras; dic amabo Blonde, ꝗ ſint hi fauores vel pauci quos legitimo Concilio præſtitit? ego enim multa, eaq́; valde illuſtria Amedei in Eugeniũ beneficia lego, in Conciliũ verò nõ lego. Audio ſanè Eugenium Amedeo *gratias habentem, quod intentus ac feruens eſſet ad defenſionem, & conſeruationẽ honoris ipſius, ac dignitatis, & autoritatis*

Blondus ſe ipſe impedit.

Seſſ. 2.

Diſſimulat egregia Amedei in Eugenium beneficia.

V. ſup. nu 7.

& num.8.

Apoſtolicæ ſedis. Scio eundē Eugeniū ſcribere *ſe à multis fide dignis quotidie audire, & veraciter informari quantum Amedeus intentus eßet, & omne ſtudium ſuum apponeret ad honorem, & ſtatum ſuum* (Eugenij) *& Romanæ Eccleſiæ conſeruandum, ac proinde fidem eius & deuotionem plurimum in domino commendare, hortarique vt in ſimilibus bonis operibus, quibus multos alios ſuperarit, ſe ipſum ſuperare conetur*. Noui Amedeum per ſuos Oratores in Concilio euiciſſe vt quam tantopere deſiderabat Eugenius prorogationem: illam obtineret, hæc tibi Blonde obſcura eſſe non poterant, qui Eugenio eſſes à ſecretis: quid? hiſne cuniculis in Pontificatum irrepebat Amedeus; his machinationibus Eugenium euertebat? cur hæc tacebas vt neſcio quos fauores Cōcilio paratos referres? nullus ſanè dubito quin ſemper Amedeus Cōcilium vti debuit, reueritus ſit, nihilq; non egerit apud Pontificem vt autoritatem illius illibatam eſſe pateretur, idq; literæ ipſius Amedei ad Concilium ſcriptę declarant, ſed ſi verum amamus, erit vtique fatendū Baſileenſes Amedeum Eugenio quàm ſibi longè fauentiorem exiſtimaſſe. Quid quod affirmare nō verebor exacerbatos ex illis in Amedeum plurimos quod eū Eugenio quàm par eſſet amiciorem crederent? quo factū eſt, vt vehemēter de illis in cauſa Lauſanenſis Epi expoſtularet, vt qui durius in eum quàm in barbarum, & ignotū hominem ſe geſſiſſent: *Nunquā* (inquit) *potui obtinere quod vni Sarraceno non fuit denegandum*. Sed in rem erit cōtrouerſiam hanc non tranſmittere leuiter.

& nu. 10.

In Appen. ad Conc. Baſil. pag. 233.

Amedeum Baſileen es minus ſibi æquum putabant.

Seuerius cū illo agunt.

Vaca-

Vacauerat forte per eos dies Epiſcopatus Lauſanẽſis in ditione Ducis Amedei poſitus. Hic, vt iure nominationis vteretur, quod Pontifices olim, & recenti memoria Martinus Quintus illi attribuerat, Ioannem de Preugino ad eã Sedem vocabat, e factione tamen quorũdam Canonicorum Ius electionis ſibi vindicantium, Ludouicus de Palude cooptatus iuerat in poſſeſſionem: Grauiter iniuriam tulit Amedeus, & ne in poſterum ſerperet damnum, cũ Eugenio per legatos ſuos Nicolaum Feſti, & Ioannem Championis egit, vt Ludouicũ gradu moueret, aut alio transferret. Eugenius Iudices dedit, Iordanum de Vrſinis Epiſcopum Sabinenſem, & Angelotum tituli Sãcti Marci Cardinalem, ſuos ad Baſileenſem Synodum legatos, cum literis ad Amedeum quarum initium eſt.

LXXXIX. Magna Baſileenſes inter & Amedeũ controuerſia pro Epiſcopatu Lauſanenſi.

Eugenius, &c. Ex his quæ per ſingulos dies de conſtanti deuotione tuæ nobilitatis ſentimus, clarè contuemur ſupra cætera, quæ ad tuam gloriam ordinantur, ſplendere ſinceritatem fidei qua Progenitores tui Romanam Eccleſiam, Sedem ſcilicet Beati Petri magna ſemper cum reuerentia coluerunt, vnde præclaris tuis exigentibus meritis Paterna inclinamur affectione ad ea, quæ decus, & bonum tuæ Nobilitatis aſpiciunt, &c. Cætera delegationẽ tantum habent cum reſeruatione Eccleſiæ Matiſconenſis. *Datum Romæ Anno* 1433. *prid id. Mar.* fine anni Pontifex Ioannem Epiſcopum dixit, commendatitijs in eius fauorem Amedeo datis prid. non. Nouembris: ſed erat Ludouicus Concilio acceptiſſimus, quemque præcipuis legationibus adhibuerat, interq; primos audiebat, & ægrè ferebant

Eugenij ad Amed. litera

Commẽdat eius in ſe beneuolentiã.

Digitized by Google

rebant Patres Amedeum à Pontifice pendere voluiſſe, cum decreto facto ſtatuiſſent ſtante Concilio Prælatos ab eo eſſe conſtituendos. Obſtinauit igitur in propoſito Ludouicus, Patribus eius cauſæ fauentibus. Imminuta vero Pontificis autoritate (id enim temporis ad eas incitas venerat, vt ſuis antiquatis, Concilij decreta cõfirmare neceſſe haberet) non poterat Amedeus non interpellare Patres ne iniuriam ſibi fieri paterentur. Sed quoniam ſciebat illos maiorem partem alieniore à ſe animo eſſe, Armigerum, & Feciale(Heraldum vocant) pro tribunali dum ius diceretur adeſſe iuſſerat, qui ſi cauſa caderet, à Concilio ad Pontificem prouocarent: nec falſa auguratus eſt, ſententia ſecundùm Ludouicum dicta, damnati Amedeus, & Ioannes electus, ſtatimque interpoſita prouocatione, tanta in prouocantes vociferatio eſt ſequuta, exardeſcentibus pleriſque omnibus, vt vix ab illis manus abſtinuerint. Et ſanè Baſileenſes nihil moleſtius vrere quàm huiuſmodi prouocatio poterat. nam cum tantam Concilij autoritatem eſſe decernerent; vt nemini ab eo ad tribunal aliud appellare liceret, exemplum tanti Principis periculoſiſſimum fore animis præcipiebant. Ille vero ne quis de ſua mente dubitaret, oratoris ſui prouocationem non modo ratam habuit, ſed denuo coram legitimis teſtibus, & Præſidibus, verbis ore proprio conceptis appellauit. Hic vero lectori æſtimandum relinquo quàm cõſentanea veritati Blondus ſcribat, cum Amedeũ omnes vires *augendo, manutenẽdoq; Concilio adhibuiſſe,*

Amedeus à Concilio ad Eug. ꝓuocat

Hinc Baſileenſium in eum odia.

Blondus impoſturæ cõuincitur.

ſe ſcribit, in quem Baſileenſes velut decretorum ſuorum violatorem palam inſurgerent. Neque vero in hac vna controuerſia diuerſus abijt à Baſileenſibus noſter Amedeus. Sententiam illi in Antonij Vadimontani, & Renati Andegauenſis : Lite pro Ducatu Lotharingiæ, ſecundum hunc dixerant, illi Amedeus, ita fauit, vt eius potiſſimũ opera æmulum in poteſtate habuerit. Quod ſi ſagaciſſimus Princeps agitabat animo Pontificatum Concilij ſuffragijs obtinendum, an non demereri Patres, fauorem eorum eblandiri, illorum ſtatuta laudare, amplecti, cæteriſq; exemplo præire debuerat? obſeruatione porrò dignum eſt hęc ab Amedeo geſta poſt aliquot dumtaxat menſes quã exuto Imperio Ripalliã ſeceſſerat; vt vel hinc manifeſtiſſimi teneantur mendacij, qui ſimulata Religione Baſileenſes ſibi conciliare voluiſſe calumniantur. Etenim fine anni trigeſimi quarti abdicarat ille ſe, Ludouico ſibi ſuffecto, cauſa autem Lauſanenſis per primos ſequentis anni menſes eſt agitata; literas ſiquidem expoſtulatorias dedit Amedeus ad Concilium prima die Maij anni trigeſimi quinti, quarum aliquot capita fidem dictis factura recitabo.

Vanderb. in Amed. 8.

Nota.

XC. Expoſtulatio Amedei ad Conciliũ. *In Append. ad Conc. Baſ. pag. 233.*

Confiſus, ait, *de V. R. P. benigna ſupportatione conqueri cõpellor apud eos hoſtibus ſecluſis, ſuper eo quod nuperrimè dilecto fideli ſcutifero Oratore, ac Procuratore meo ad hoc deputato Ioanne Champtionis in conſpectu veſtro in Eccleſia maiori Baſileenſi, vbi vt credo debebat, & debet ſibi, & omnibus ſeruari totalis immunitas, & plena ſecuritas perſonaliter conſtituto, poſt intimatam eiſ-*

dem

dem P. V. & parti aduerſæ videlicet dicto D. Ludouico aduerſario, & hoſti meo ibidem tunc præſenti appellationem iuſtam, à quadam prætenſa ſententia generaliter, vt fertur in cauſa Lauſanenſis Eccleſiæ, ſicut placuit in fauorē dicti aduerſarij contra Reuerēdum in Chriſto Patrē D. Ioannem de Preugino Epiſcopum Lauſanenſem nuper lata, quæ vtinā pro honore Concilij ſine alio præuio moderamine, & cauſæ maturiori iuſtificatione nūquam fuiſſet promulgata: ſtatim inſurrexerunt quidam ex Procuratoribus, nec non Procurator fiſcalis, ac etiam Procurator fidei, qui tamen vt prudens, fuit alijs magis tēperatus, licet vrgeretur, & cum clamore valido petierunt, quatenus idem ſcutifer, & Procurator meus caperetur, & grauiter puniretur, eo quod huiuſmodi appellationē intimauerat: ſurrexrūt etiam innumerabiles alij cum clamore, & ſtrepitu pariter acclamantes capiatur, incarceretur. Nec defuit aliud verbum violentum, niſi vt crucifigeretur. Hoſtis inſuper prædictus particulariter debitum ſuum hoſtilitatis, hoc idem vociferando perſoluit, in quo mihi quam plurimū complacuit, quia qualis erat, & eſt apud me, inimicum meum ſe palam declarauit. Quod tanto moleſtè fero, quanto ipſe prodijt ex Vaſſallis meis, quorum meritis præteritis ex hoc, & alijs operibus ſuis reddidit ſe indignum perpetuum. Vnde ſuper hoc quod in præſentia veſtra clamigarat ſe ex parētibus magnis (quorum aliqui defuncti ſunt in parentum meorum obſequio) traxiſſe originem, fateor, verum eſſe hoc quod dicit, quia ex bonis, & fidelibus parentibus ortus eſt, qui tā erga me, quàm inclytos progenitores meos, debitum fidelitatis firmiter exhibuerunt, vtinā non fuiſſet idem aduerſarius degener, contra me, & iuſtitiam

Amedei Oratores in Cōcilio iniurioſè habiti.

meam

meam attentando; quamuis cum diuino, & Dominorum meorum auxilio, non poterunt ipſe, & ſui præualere: ſcio enim remedia mea quibus vtar loco, & tempore contra ipſos, in hoc autem quod allegat magnitudinem parentum allegat veritatem; ſed non credat aliquis me non habere ſine comparatione potiores ſe, habeo enim per Dei gratiam Vaſſallos, & ſubditos inſignes in bono numero, Ducali, Marchionali, Principali, Comitali, Baronali, & Banneriali dignitatibus inſignitos, vltra valuaſores, &c. Tum deinceps, *Nunc habetis efficaciſſimum meæ voluntatis indicium in hoc quod non per procuratorem, ſed in propria perſona coram authenticis perſonis appellaui. Miror qualiter, & quomodo V. R. P. tot vicibus permiſerunt, & permittunt ſe à prædicto aduerſario, & eius fiſtulis dulce canentibus ſic decipi, ſed omnibus conſideratis non admiror, quia facies dealbatæ multos fefellerunt, atq; fallunt. Non credebam tamen quod ad placendum vni Monacho Iuſtitiam iuſti iniuſtè auferre ſatagenti, maximè ex actu ordinatiſſimæ iuſtitiæ, videlicet appellationis, debuiſſe in perſona mei ſcutiferi, et procuratoris ſic offendi, & etiam in ſedibus Oratorum meorum prægrauari. Non enim ſic turbari debuiſſetis ex appellatione ſupra dicta. Et maximè contra me qui me conſcium alicuius offenſæ ſacro Concilio, vel alicui ex eius ſuppoſitis huc vſque illatæ non ſentio. Quinimo ad profectum, & augmentum ipſius Concilij vijs poſſib libus, tam erga ſanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, cuius ſanctitatem plus debito, ſed Dei zelo, hac de cauſa frequenter ſtimulaui, & nimis exaſperaui: quàm erga Principes, conſanguineos, confœderatos, & amicos cum omni feruore laboraui. Neſcio tamen vnde fuit, quod ſupplicatio*

Quomodo ſe erga Cōcilium geſ- ſerit.

per me iterata, & reiterata (videlicet pro cauſa Eccleſiæ Lauſanenſis, quæ mea fuit, eſt, & erit) aliquibus probis auditoribus peritis, & partibus non ſuſpectis committeretur, via, & ordine iuris tractanda, & definienda, nunquam potui obtinere, quod vni Sarraceno non fuit denegandum; niſi quia ſic placuit illi bono D. Ludouico, & ſuis fautoribus ſatis mihi notis, ſcio enim, & fateor indubitanter in ipſo ſacro Concilio plures, & plures adfuiſſe, & adeſſe Dominos ſapientiſſimos, iuſtos, manſuetos, & pios, quibus præmiſſa attentata tanquam iniqua diſplicuerunt, & diſplicent, quos inde culpare neſcirem, niſi ex hoc, quod alijs partialibus forſan ex metu, vel falſa perſuaſione conſenſerunt. Hæc mira libertate Amedeus; quæ ſi quis hominis Cõcilij auram captantis iudicet, næ ego Amedeum captaſſe non inficiabor. Erat in eo Principe facilis cæterarũ rerum contemptus, autoritatis tamen retinendæ præcipuum ſtudium. Quare ſic deinceps in hac ſe cauſa geſſit, vt cum ſtatuiſſent, Baſileenſes, *quod quæcunq; appellationes à Concilio emanaſſent, indeq; ſequuta, & ſequenda caſſarentur, irritarẽtur, & annullarentur. Et tam Iudices, quàm Commiſſarij partes, procuratores, & Notarij, qui circa præmiſſa culpabiles reperti fuiſſent, monerentur etiam per edictum, & punirentur*; diſertis tamen verbis *perſonam Domini Ducis Sabaudiæ exciperent, ſtatuerentq;* quod ex *parte ſacri Cõcilij ſcriberetur eidem Duci ſuper materia huiuſmodi Lauſanenſis; Quodq; Concilium paratum eſt ſibi, & cuicunque de ſuppoſitis concilij querulanti, iuſtitiam miniſtrare. Et ſi opus ſit eidem tranſmittentur viri nobiles pro actu huiuſmodi. Ita concordarunt domini de duo*-

Iniquiús ſecũ agi queritur quàm cũ Barbaris.

Euict. vt prouocatio ſua locũ haberet.

Apendix ad Conc. Baſil. pag. 131.

decim die Iouis 15. *Septemb.* 1435.

Hæc ſatis ſuperq; videbantur, vt Blondus Impoſtor haberetur, qui Amedeum vnum omnium eſſe voluit in augendo, & manutenendo Concilio damnato pertinacem. Sed antequam ad alia pergo, doceri à te velim Blonde, quinam illi eſſent orbis Chriſtiani Principes, qui Concilium ante Eugenij depoſitionem tanquam pernicioſum, vt ais, deteſtarentur? An Sigiſmundus Imperator? At eius potiſſimum autoritate factum eſt, vt Eugenius irrita eſſe iuberet quæcunque in Concilium decreuerat, & ipſe in rem præſentem veniens inſigni pompa medius in conſeſſu Patrum ſpectatus eſt; quo factum eſt, vt *Concilium à Sigiſmundo incrementum habuiße* Platina veriſſimè affirmaret. An Albertus eius in Imperio ſucceſſor? at Protectorem Concilio dedit Conradum Vuimpergenſem. An Chriſtianiſſimus Rex? At Oratores ſuos in eo habuit conſtantes, & Amedei Lugdunenſis Antiſtitis, eiuſdem legati, oratione maximè permoti sũt Patres ad Eugenij abdicationem. An Reges Hiſpaniarum? At nulli frequentiores in Concilio Prælati Hiſpanienſibus, & quamuis Aragonum Rex ad extremum mutata velificatione Eugenio ſtuduerit, nunquam tamen Oratores eius Panormitanus, & Romanus, vel autoritatem Concilio deeſſe, vel articulos de autoritate Pontificia conditos veritati repugnare contenderunt. An Germaniæ Principes? At potentiſſimus inter illos Vulielmus Bauariæ Dux diu protector in Cõcilio ſedit. Et ex eadem familia Albertus, ac Stephanus

XCI. Fictitios Hoſtes Baſileẽſibus opponit. Blõdus.

In Eugen. 4.

V. ſup. nume. 76.

Digitized by Google

fratres conſtantiſſimè Felicem ſemper coluerunt: quos imitatus eſt Albertus alius Auſtriæ Dux Cęſaris frater: Eugenium verò reliqui Germani, non niſi paucis ante obitum eius diebus Pontificem agnouerunt. Quinam igitur amabo ſunt illi Principes, quos Concilio infenſos fuiſſe Blondus prædicat? Credo cum ex Europæis Burgundionem priuatis odijs incenſum recenſuerit, non alium facilè numeraturum; Sed habet Blōdus cum libet in ſignis ſuis Principes, ſicut totas videt in Concilio Sabaudienſium Clericorum legiones aliorū numerum æquantes, quas quidem illum ſibi obieciſſe crediderim, vt eſſet in quē cæco impetu Andabaturum more pugnaret; ſed eius vanitatem, quæ ſequuntur aperient.

XCII. Proteſtationem ab Oratoribus Principum cōtra Amedeū factam fingit Blondus.

Quibus in rebus adeo contraria ſenſit Philippus Mediolanēſium Dux, vt licet illi gener eſſet, & multæ ſibi olim cum Eugenio Pontifice interceſſiſſent odiorum, atque inimicitiarum cauſæ magnam ſuorum partem ab eo conciliabulo reuocarit, paucos vero, qui manſerūt, nedum illis actionibus intereſſe voluerit, ſed contra ſimul cūm alijs Principum Oratoribus proteſtari curauerit.

Refellūtur, qui Ducem Mediolanēſem Amedeo ſocero ſuo ad Pontificatum obtinendū autorem fecerunt, in quibus *Parad. l. 3. hiſtor. Sabaud. cap. 31. Sequutus S. Antoninum*

Ego te Blonde libenter hic adiuuo, vt Amedeum inuidia liberem quā apud plurimos eo nomine contraxit, quaſi Eugenio Ducis Mediolanenſis artibus depoſito, ſocerum iſte ſuum ſuffici per ſuos maximè obtinuerit, quod ſi falſum eſſe cōtendis, mei quoque teſtes idem dicent: nullus enim, Aenea teſte, vel ſtudioſius, vel ardentius depoſitionem Eugenij prorogari inſtitit, Archipræſule Mediolanenſi, qui proteſtationi quoque vna cum

alijs

aliȷs Principum Oratoribus acceſſit, quam Panor mitanus Aragonēſis Regis ſui nomine fecit; ſed tantum abeſt vt hæc proteſtatio, vel contra Amedeum eſſet, vel contra eius ſententiam, vt oratores eius cum aliorum Principum oratoribus perpetua conſenſione conſpirarint. Quorſum igitur illa proteſtatio? habebant in mandatis Principum legati, vt pacem componere Eugenium inter, & Concilium omni via, & ratione tenderent, atque inter ſe ſtatuerant *nihil ſe recepturos ex his quæ durante pacis tractatu inter eos incæpto, vel Papa contra Concilium, vel Concilium contra Papam feciſset*. Quare cum Baſileenſes in eo eſſent vt decernerēt tres illos articulos, ex quibus (ſi vt fidei veritates admittebantur, quod ſanè neque potuit, neque debuit admitti) neceſſario conficiebatur Eugenium hæreticum eſſe, ac proinde Pontificatu lapſum, ita vt nullus deinceps paci locus relinqueretur, Panormitani proteſtationem ſequi, ſi forte ita intercedere poſſent, deliberarunt: Verum Arelatēſis nihil iſta moratus, *non paſſuram* cōtendebat *Eccleſiam, vt iudicio Principum res ſuæ, fideiq; terminentur. Nec enim ſpiritum S. Principibus, ſed ipſos Principes illi ſubeſſe.* Quare cum ex Prælatis trepidare aliquos cerneret, nonnulloſq; ſe abdere, *plurimas ſanctorum Reliquias tota vrbe*, ait Syluius, *perquiri iuſſit, ac per Sacerdotum manus in ſeſſione portatas abſentium Epiſcoporum locum tenere, quæ res maximè deuotionem adauxit, in tantum vt vocato poſt modum de more Spiritu ſancto, nemo lacrymas continuerit. Erat namq; per totam Eccleſiam tenerrimus, ac ſuauis fle-*

nō ſatis iſtarum rerū diligentem.

Vidēda reſponſio Synodalis ad ſchedulam Francifci de Barbauaria Oratoris Ducis Mediolani. Edit. Colon. p. 128.

Quam proteſtādi cauſam Principum Oratores habuerint.

Sylu. lib. 1. de Conc. Baſ.

Ibidem.

Ibidem.

tus bonorum virorum, qui lacrymantes diuinum auxilium implorabant, quiq; matri Eccleſiæ, vt opem ferret, magnum Deum deprecabãtur. Inter alios quoque magnificus ille Baro Imperialis Protector, vberrimas Eccleſiæ lacrymas præſtabat, & inter flendũ haud modicam tali actu conſolationem recipiebat. Quadringentos in ſubſellijs ſediſſe ibidem commemorat, qui magna conſenſione ſeſſionem illam celebrarũt, illiq; ipſi Prælati, qui in rem præſentem venire non ſuſtinuerant, per ſuos tamen procuratores adeſſe voluerunt; ſed nequis Amedeum leuitatis inſimulet, quod cum minimè ignoraret repugnantibus tum aliorum Principum, tum ſuis legatis ea eſſe in Concilio determinata quæ abdicationem Eugenii inuoluebant, non debuerit poſtea eandem abdicationem, neque ſuam conſequenter electionem ratam habere, audiendus omninò Syluius, qui ſua eum planè narratione abſoluet.

XCIII. Principum Oratores, proteſtationem reuocant, & Cõcilio accedunt. *Sylu. lib. 1. de Conc. Baſ.*

Ea inquit quæ ſequuta eſt Veneris die vigeſima Maij, Oratores Principum præter omnium ſpem generali congregationi, & actibus conciliaribus ſe miſcuerunt, eo vel ſaltem facto præteritæ ſeſſioni præſtantes aſſenſum, in qua celebranda ſi Patres erraſſent, nequaquam fas erat Oratores Principum cum eiſdem Patribus Concilium celebrare: ſed exiſtimati ſunt remorſu conſcientiæ tacti iam abhorrere quod egerant: quod de Oratoribus Cæſareis, ac Gallicis nequaquam fuit obſcurum. Lubecenſis namq; Epiſcopus id ſibi abſentiæ cauſam præſtitiſſe dixit, quoniam iuſſu Cæſareo ad pacem fuiſſet deſtinatus, ex quare non decuiſſet eum alicui negotio intereſſe, vnde ille perturbaretur, cum quo pax eſſet pertractanda, ſed tamen

ſeſſionem

ſeſſionem præhabitam plurimum commendare, decretũque in eadem promulgatum optimum ſe ac ſanctiſſimum credere, veritates quoq; in eo contentas apud ſe ſemper indubitatas fuiſſe, eiſq; & nunc & vſq; ad mortem velle adhærere. Turonenſis autem Archiepiſcopus plurimarum literarum, & ornatæ Prælatus eloquentiæ, pro ſe, ac ſuis collegis loquens: Audiſſe ſe (inquit) inter aliquos ſibi eſſe detractum, quod in ſeſſione illa ſanctiſſima Regem ſuum non honoraſſent, quem maximè tueri fidem, ac exaltare deceret, qui ideo eſſet præ cæteris Regibus nomen ſortitus Chriſtianiſſimum; habere ſe tamen non illegitimam excuſationem, quando eos qui eſſent ad pacem miſſi, nihil omnino agere conueniret, quo ſuam impedirent legationẽ. Duo quoq; iniuſtitiæ fore genera, quibus aut fienda non fierent, aut fierent non fienda. Primum quoque non ſemper obligare, quod oporteret temporis, loci, perſonarumque rationem habere; vltimum verò ſemper tenere. Neque in eo ſe incidiſſe, qui nihil turpitudinis admiſiſſent: Circa primum tamen poſſe aliquibus videri ſe erraſſe, quod in veneranda ſeſſione non affuiſſent, ſed eſſe quoque hic quod reſponderent, quia ſi ſeſſionẽ illam adiſſent inutiles poſt modum tractatui pacis cum Eugenio ſe reddidiſſent: Ideóque licet deſideraſſent tam ſancto negotio intereſſe, ſecutos tamen ſe fuiſſe exinde exemplũ Pauli, qui licet cuperet diſſolui, & eſſe cum Chriſto, adhuc tamen vt magis prodeſſet Eccleſiæ differebat: ſicq; ſe nunc feciſſe, quoniam non idcirco abfuiſſent, quia de concluſionibus dubitarent, quas veras, ſanctaſq; reputarent, & quibus vſq; ad martyrium adhærerent: ſed ne tractatui pacis, pro qua veniſſent, redderentur inepti; ſe tamen quod ſuis non feciſſent in perſonis, domeſti-

corum

corũ impleuiſſe, quos omnes honorare ſeſſionem iuſſiſſent.

Hæc de proteſtatione, quam neque Oratores Principum aliorum, neque Mediolanenſis in Amedeũ edidit, tametſi ijdem Oratores eam poſtea reuocarint, neque vel minimo indicio colligi poteſt Amedeum circa Eugenij depoſitionem aliud à cæteris Principibus, nedum Mediolanenſi ſenſiſſe. Autores certè habeo non contemnendos, qui Mediolanenſem Ducem aſſerunt ingentem Amedeo Felici nuncupato exercitum obtuliſſe quo viam ſibi in Italiam aperiret, Eugeniumque Roma exturbaret, cui tamen Felix dicto audiens eſſe recuſarit, minimè decorum ratus, vt qui pacis artes Princeps ſemper coluiſſet, armorum ſtrepitu Pontifex gauderet. Et verò ſciebat nihil vſq; adeo Principes Eugenio inconciliaſſe, *quàm quod præter Pontificis dignitatem* (verba ſunt Bergomenſis) *mirum in modum bella amaſſet*. His ſi Blondus attendiſſet, ingenioſiore penicillo fabulam ſuam delineaſſet, nunc reliqua officinæ eius cromata videamus.

> Gobelin. lib. 7. Comment. Pij 2.
>
> Amedei modeſtia.
>
> Eugenius belli nimiũ ſtudioſus.
>
> In Chron. an. 1431.

XCIV. Confertæ Blondi Impoſturæ.

Quare cum ad Idoli creationem eſt ventum, ex quinque orbis nationibus quæ Concilia conſtituere conſueuerunt, ſelecti ſunt quibus ſuffragium ferre conceſſum eſt tres, & triginta, quorum duo de viginti ex Ducis Sabaudiæ dominio fuere, cum tamen cæteros homines ſordidos, & maiori ex parte ob admiſſa apud ſuos flagitia ſedibus proprijs pulſos illius largitione corruptos fuiſſe conſtiterit.

> Cæca mentiendi libido.

Hactenus Blonde nobis compertum erat te aduerſus omnem pudentiam animum emunitũ habere, ſed mihi nunc videris non pati hanc cõtrouer-

ſiam

ſiam tranſire ſine aliqua ſtuporis tui nota, cætera enim fraudum callidus artifex credi poteras, hoc loco prçter ſupinitatem quid accuſem vix habeo: niſi forte vt in præceps datis corporibus nullum ſui arbitriũ eſt, ita animus tuus in iram odiumq; proiectus impetum non cohibet, *ſed conſilium omne* (vt cum Seneca loquar,) *& pænitentiam, irreuocabilis præcipitatio abſcidit, & non licet eo non peruenire, quo non ire licuiſſet*; rapiat te oportet, & ad imum agat tuum pondus, & iam vitiorum natura procliuis. Amedeo *affectatam in rem Eccleſiaſticam Tyrannidem*, affectu rapiente obieceras, reſiſtere amplius, aut morari calumnia deiecta non poterat, impellenda igitur potius, & grauiore mendaciorum pondere vrgenda: quid enim aliud in extrema tua oratione quàm cæca, & ſola ſtupiditate admiranda audiuntur mendacia? nam vt omittam non minus inuidioſam, quàm vanam obſeruationẽ tuam de quinque nationibus, quç Cõcilium componunt, quæ ſi vera eſſet, neque Florentinum quo tantopere gloriaris, neque plurima alia legitimorũ Conciliorum nomen obtinerent; vt inquam hæc omittam, qua fronte dicere ſuſtinebas ex triginta tribus electoribus duo de viginti fuiſſe ex Ducis Sabaudiæ dominió? num Concilij acta legeras in quibus nominatim erant deſignati? num Syluij de Concilio libros euolueras, in quibus ſingulorum ortus, & dignitates recenſentur? num cum multis egeras qui oculati teſtes affuiſſent, à quibus doceri poteras vix decẽ omnino fuiſſe de ditione Ducis Sabaudiæ in eum numerum

Vana Blõdi obſeruatio.

Luculẽtum eiuſdem mẽdacium.

V. ſup. nu. 48 & ſeqq.

merum

merũ cooptatos, atq; ex illis decem tres fuiſſe origine Gallos, quanquam dignitate inter Sabaudienſes Prælatos cenſerētur. Quid igitur in mentem tibi veniebat tam vecordi mendacio famam tuam onerare? ſentio fraudem. Solemne, eſt ijs, qui factionem in huiuſmodi Comitijs ducūt, id moliri vt cum ſuffragia tot in poteſtate ſua habere nequeant, quot ad Pontificem pro arbitrio ſuo legendum requiruntur, tot ſaltem mēdicent quæ quouis prohibendo qui minus foret gratus ſufficiant. Voluit igitur Blondus hoc figmento inuidiam Amedeo facere, vt qui regnare per ſuos in eo cœtu voluerit, & ſingulos arcendo, tandē electores incommodis fatigatos, & moræ impatientes ad ſe flectere; ſed dum in quod cępit pertinax, & intenta Blondi præcipitat indignatio, ruinis ſimillima euadit, quæ ſuper id qđ oppreſſere franguntur, ſic ille dum fidem facere tam luculento mendacio nititur, fidem amiſit. Eſt quippe certiſſimum Sabaudienſes alijs excludendis pares non fuiſſe, & potuiſſe reliquos Pontificem dicere, quā uis reclamantibus iſtis, quando ad legitimam electionem duæ dumtaxat ſuffragiorum partes ſatis eſſent.

Qua fraude confictum.

XCV. Fœda in electores de Simonia Calumnia.

Sed cæteri (ait Blondus) *erant homines ſordidi, proſcripti, & largitionibus corrupti, vt ad Sabaudienſes accederent.* Itane calumniam Blonde perbibiſti, & viſceribus immicuiſti, vt nullum ſine maledicti amarore verbum ex ore acido prodire poſſit? ergone illuſtriſſimorum, doctiſſimorumq; virorum latus fodiendum ducebas, vt per illorum vulnera peteres

Amedeum

Amedeum? Tibi igitur Antiſtites, Abbates, Doctores omnes in Conciliũ ire iuſſos (quorum aliquos Principum, Regumúe familijs inſertos fuiſſe in comperto erat) ſectores eſſe nefarios, gentis ſuæ propudia, infames ſimoniacos, ſine teſte, ſine autore, ſine vllo argumento mentienti poſteritatem credituram ſperaſti? ſi quibus virtutibus Hiſtoricum carere cõtingat, modeſtia illi nouiſſimè exuenda eſt: hac quippe detracta, nulla niſi meretricia laus illi reliqua eſt. Hoc ſi Blonde cogitaſſes Sapientiſſimũ, Religioſiſſimũq; Principẽ, Prælatos nobiliſſimos, viros ſpectatiſſimos nõ vſque adeo inuerecundè pulſaſſes. neque hoc patrocinio tutior erat Eugenius, quem ſua virtus, & occulta Dei prouidentia, non aliena conuitia ſatis propugnabant. Id certè tibi ſuccurrere debuit nemini ſuaſum iri tot illuſtres viros, domi nobiles, ac dignitatibus præcipuos incerti lucelli cauſa vitam ſuam prope certæ morti exponere voluiſſe, in ea vrbe vbi peſte atrociſſimè ſæuiente funera funeribus contexebãtur, aſſiduiſq; mortibus dies continuabantur. Quod ſi tanta auri cupiditate æſtuabant, quorſum tot annis in ea vrbe, tot exhauſtis incommodis nullis parcentes ſumptibus externi homines perſeuerabant? Quis porrò tam ſordidæ illos auaritiæ reos eſſe ſuſpicabitur, quos in Conclauis ingreſſu tãto pietatis ſenſu ſacris Epulis participaſſe, tamque horrendo ſe Sacramento deuouiſſe legimus, digniſſimum ſe optaturos profitentes. Mihi ſanè memoria repetenti præcipua Purpuratorum Patrum Comitia, in

quibus Pontifices olim electi ſunt, non aliud occurrit, in quo plura Religionis, Chriſtianæq; pietatis veſtigia ſint relicta, vt in his, vel horum plurimis felicitas potius in cognoſcẽda veritate adfuiſſe quam ſtudium in ea perſequẽda in illo deſiderari videatur.

XCVI. Amedeum inuitum ad Pontificium vocatũ multi aſſerunt.

Sed vt electores iuxta ac electum à Blondi criminationibus liberem, dabo teſtes affectu vacuos, nulla cuiuſquam gratia, aut odio motos, qui non modo Amedeum ab ambitu abſoluunt, ſed eum ad hanc dignitatem capeſſendam præter ſpem, imò inuitum, & reluctãtem adductum eſſe confirmant. Philippus Bergomenſis ſæpe laudatus id diſertis verbis aſſerit. *Amedeus heremita dudum Sabaudiæ Dux ad Pontificium munus inuitus delectus fuit.* Mutius non diſſimilia ſcribit, *hic igitur* (Amedeus) *ex heremitica vita ad culmen Pontficium præter omnem expectationem vocatus.* In eandem ſententiam Iacobus Spiegel, Volateranus, & Munſterus totidem verbis, *ob abſtinentiæ* aiunt, *clariq; nominis famã inuitus in Concilio Baſileenſi Pontifex factus.* Paria ſcribit Ioannes Stella Venetus, quæ breuitatis cauſa prætermitto: vti etiam ea quæ in eundem ſenſum pluribus referunt Paradinus, Vãderburchius Boterus, cæteriq; noſtri: eodemque pertinent eximia illa ſanctitatis, & innocentiæ Elogia quæ ſupra ex probatiſſimis autoribus recitata ſunt: quomodo enim ſanctimoniam illius prædicarẽt, niſi eum procul ab omni ambitione, ne dicam turpiſſimo ſimoniç vitio fuiſſe cõpertum habuiſſent? Quæ qui perpenderit, nequauam dubitabit verè à Baſi-

In Chron. an. 1438.

Lib. 28. chrõ. Germ.

In 5. Auſtr. Lib. 2. Geogr.

V. ſup. nume. 35.

Baſileenſibus ſcriptum eſſe Amedeum *auditis oratoribus Concilij ſuppliciter inſtantibus, vt electioni acquieſceret, in magna anxietate conſtitutum, & mœrore compreſſum, diutius trepidaſſe, nec niſi poſt multas preces, hortationes, ac etiam obiurgationes diuinam iram intentantium, non ſine vberibus lacrymis paſſum ſe perſuaderi.* Seſſ.35.

Et vero ſi tam efflictim quàm Blondus fingit hanc dignitatem deperibat Amedeus, ſi tot machinis ad eam graſſabatur, ſi tot ante annos ſpem illius tanta auiditate præceperat, cur non confeſtim è nemore ſuo receſſit? cur Baſileam quo Patrum votis adeo incenſis vocabatur è veſtigio non adijt? cur magnã ſequentis anni partem in ſeceſſu egit, niſi quia ægrè tranquillam quietæ vitæ ſtationem deſerebat, vt infido, & ſcopulis, tẽpeſtatibuſquè horrido mari ſe committeret. Sciebat vir ſapientiſſimus adeo iniquis rerum æſtimatoribus ſe vſurum, vt ſi citra exitum propoſiti ſui ſubſideret integritas, damnaretur: ita enim natos homines vt apud pleroſq; vel gloriã virtutis interciperet fortuita felicitas, vel infelix virtus amitteret gloriæ titulum Accedebat arcta illa quaſi Religioſæ vitę neceſſitudo, quæ illi cum ſuis Cõmilitonibus intercedebat, è quorum diuelli complexu nõ ferebat; illud quoque metuebat ſagaciſſimus Princeps, ne ſuus ille ordo, cuius tãto molimine fundamenta iecerat, nondum ſatis firmata compage per abſentiam ſuam ſolueretur: Quæ cogitatio tanto acrius eum mordebat, quãto impenſiùs ſuis inuentis velut proprio fœtui homines indulgent. XCVII. Inuiti animi argumenta.

Prima igitur poſt initum Pōtificatum cura fuit, vt ſacræ Militiæ de Magiſtro proſpiceret, qui eā iuxta leges à ſe conditas temperaret. Fuit is Claudius de Saxo, vt ex Bulla ſuper ea re edita eſt manifeſtū, quam hoc loco inſerere placet, vt Amedei propoſitum clarius innoteſcat.

XCVIII. Amedeus Decanum Mauricianis militibus licit.

FELIX EPISCOPVS Seruus ſeruorum Dei Ad futuram rei memoriam. Dudum cum inter præſentis ſæculi fluxus, & rerum mundanarum varietates, curis adeo implicaremur innumeris, vt plaſmatori omniū Domino pro bonis largiflue receptis ad debitas laudes, & gratias (prout corde geſſimus, & animo) aſſurgere ſæpius non valeremus, cerneremuſq; dies noſtros continuò tranſire, & properare ad exitum. Nos almiferi Spiritus ſancti gratia cōmoniti ad hoc, vt quietius, deuotiuſq; gratijs, & laudibus prædictis vacare valeremus ad locum Ripalliæ Gebennenſis Diæceſis in quo antea vnum Monaſterium Canonicorum Regularium ordinis S. Auguſtini ereximus, & fundauimus noſtros dirigentes affectus ſimul, & Incolatus, certas ibidem manſiones ſolitarias pro noſtra, & aliorum ſex militum vſu, & habitatione ad Dei laudem, & gloriam, ac Beati Mauritij honorem erigi, & conſtrui fecimus, vbi primum redacti cum totidem militibus ſe noſtris votis conformantibus incepimus viuere, atque viximus ſolitariè ſub nuncupatione, & vocabulo militum Sancti Mauritij diuinis officijs, & ſuauibus contemplationibus ſub humilitatis habitu in Eccleſia dicti Monaſterij, & alias conuenienter, & deuotè intendendo, nobis inſuper eiſdem militibus decano conſtitutis. Cum autem poſt modum ſacra generalis Synodus Baſileenſ. in Spiritu ſancto legitimè congregata

Mauricianorum militū inſtituta.

gregata vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, Nos illic conſtitutos licet immeritos ad Summi Apoſtolatus apicem, & Sancti Petri Sedem duxiſſet eligendos. Nos qui ad acceptandũ tanti regiminis onus, ad quod nos vtiq; indignos non immerito cenſuimus, ex parte Dei omnipotentis, & ipſius Eccleſiæ repetitis vicibus requiſiti, tandem electioni huiuſmodi in Chriſti nomine cõſenſum præbuimus, onuſquè Apoſtolicæ ſeruitutis in nos, Domino ex alto propitio, deuotè ſuſcepimus, cupientes locum prædictum continuò ſalubriter vigere, nec non ipſos milites, quibus afficimur, ope noſtra quantum valemus, & poſſumus in ſuis laudabilibus vita, & propoſito conſeruare, ac dirigi continuò ad exiſtentiam ſalutarem, eiſque noſtri loco idoneum ſurrogare Decanum, & ad dilectum filium Claudium de Saxo militem Dominũ Rouoriæ propter ſuæ nobilitatis, & virtutum merita, claramq; vitam, qua ipſum laudabiliter nobiſcum conuerſari cognouimus, noſtræ conuertentes conſiderationis intuitum, eundem Claudium militibus prædictis, ipſorum etiam requiſitione interueniente, in Decanum tenore præſentium conſtituimus, & etiam deputamus. Mandantes ex nunc Theſaurario generali, cæteriſq; officiarijs noſtris Sabaudiæ, ad quos ſpectabit, quatenus ſub pœna priuationis ſuorum officiorum præfato Claudio annis ſingulis quo ad vixerit, & huiuſmodi decanatui præfuerit, de ſumma mille, & octingentorum florenorum monetæ noſtræ Sabaudiæ in terminis, & locis in alijs noſtris literis Ducalibus deſignatis, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, integraliter reſpondeant, & ſatisfaciant cum effectu, de qua quidem ſumma Claudius prædictus cuilibet ſex Commilitonum prædictorum qui nunc ſunt, & pro

Amed. electioni ſuę reluctatur.

tempore

tempore erunt, pro opportunitatibus ſuis vlterius deducē-dis ducentos diſtribuere, & ſoluere debeat, & teneatur. Reſidua parte ſibi ipſi integrè reſeruata. Quocirca omnibus, & ſingulis, qui nunc ſunt, & pro tempore (dante Domino) erunt in loco prædicto militibus huiuſmodi tenore præſentium iniungimus, atque mandamus, vt præfato Claudio ipſorum Decano, iuxta rationabilia, ordinationes, ſtatuta, & ſtabilimenta dudum adhuc per nos in minoribus conſtitutos in præmiſſis, & circa ea facta, & edita in omnibus, & per omnia pareant, atque obediant eiuſq; ſalubria monita, & mandata ſuſcipiant humiliter, & deuotè curent adimplere. Volumus autem, & præſentium ſerie ordinamus, vt Claudio, vel pro tempore exiſtente Decano militum huiuſmodi cedente, vel decedente, dilectus filius noſter Nobilis vir Ludouicus, & ſucceſſores ſui Sabaudiæ Duces pro tēpore exiſtētes alium ex militibus prædictis, qui tunc erunt magis habilem, & idoneum de quo ipſis viſum fuerit, alijs militibus etiam tunc exiſtentibus prædictis modo parili in Decanum præficere, & deputare debeant pleno poſſe. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, deputationis, mandati, voluntatis, ordinationis, & poteſtatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Nec miretur quis quod Bulla exprimens nomen noſtrum non eſt appenſa præſentibus. Nam hi qui fuerunt hactenus in Romanos electi Pontifices ante ſuæ conſecrationis, & coronationis ſolemnia in ſuis bullandis litteris, modum hunc obſeruare conſueuerunt. Datum Thononij Gebennenſis Diæceſis.

Non.

Digitized by Google

Non. Ianu. Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo, ſuſcepti à nobis Apoſtolatus officij Anno primo.

Eadem ſapientia proſpiciendum domeſticis rebus exiſtimauit priuſquã ad ſacros Ordines promoueretur, ne quid vitio factum vel in Teſtamento, vel in alijs diſpoſitionibus poſteritas cauſaretur. Teſtamentum igitur condidit, filios emancipauit, Primogeñito Ducatum cum omnibus alijs dignitatibus attribuit, vt dimiſſa reliquorum cura, vni Eccleſiæ ſe totum impenderet: Pietatẽ eius commendant ipſa Tabularum verba, quæ ad poſteros manare iuſſit: præcipua Lectori ſuggerere nõ grauabor. XCIX. Amedeus Ludouicum emãcipat, & Ducem inſtituit.

In nomine Sanctiſſimæ, & indiuiduæ Trinitatis, totiusq; cæleſtis curiæ trimphantis. Amen. Rerum geſtarum memoria hominum in eiſdem præſentium facili corporea corruptione peremptionem paratam obtinent, niſi fideli ſcripturæ teſtimonio ſuſtentaretur. Idcirco præſentis veri, & publici inſtrumenti ſerie ad cunctorum tam præſentium, quàm futurorum veram notitiam deducatur, Qđ poſtquam ſuperni Patris luminum concedente clementia, à quo dona, bonaque profecta procedunt vniuerſa Sanctiſſimus D. noſter Felix electus Quintus, propria nominatione Amedeus, & iure hæreditario Dux Sabaudiæ, Chablaſij, &c. ad præfatæ ſuæ Ducalis dignitatis faſtigium tenera in ſua ætate fuit vocatus, ipſius, & vniuerſæ ſuæ ditionis, ac Reip. eiuſdem Regimen longæuis temporibus eam operam dederit, vt in augmẽtum ſeſe in dies Deo propitio propagauerint, & ſucceſſiuè eorum felicitatem anhelans, Cernens etiam amplas naturæ dotes, & Tabulę emãcipationis.

plurima

plurima virtutum merita, quibus ipſe plaſmator noſter illuſtrem primogenitum ſuum D. Ludouicum de Sabaudia Pedemontium Principem iam floridam ætatem attingentem præmuniuit, vt opere commodo ſuam Remp. ab ipſo Deo eidē ad regendum, & protegendum commiſſam, in poſterum cum ad æterna vocaretur, regeret comprobare: Salutiferas ædes quas in honorem S. Mauritij martyris apud Ripalliam miro, & honorabili, decentique modo Religioſè conſtituit, ingreſſus eſt, Eundem D. Ludouicum eius primogenitum, & Locumtenentem Generalem ſuum conſtituerit, ipſequè huiuſmodi ſibi iniuncto munere, paterna inſequendo veſtigia, Accedente eidē prælatorum, ac procerum, nec non peritorum ſuæ ditionis ſalubri conſilio, fructiferum vberrime in eodem atq; virtuoſum omnimode in dies ſeſe reddiderit. Vltroq; Deus ſua clementia, qui ſemper humilibus corde dans gratiam, eos exaltat, & affluit abundanter muneribus, præfatum Sanctiſſimum D. noſtrum ad electionem Sedis ſui Apoſtolatus, quam in B. Petro Principe ſuorum Apoſtolorum ſtabiliuit, factam per generalem ſacram Synodum in Spiritu ſancto Baſileæ legitimè congregatam. Pro quibus tam largifluis beneficijs ipſe Sanctiſſ. D. noſter electus, vniuerſiq; eius felicitate gaudētes, eidē gratiarū condignas relationes exhibere debent. Conſiderans propterea eis, quæ cæleſtia ſunt, & ad ſuum Apoſtolatus Officium pertinent, dimiſſa ſæcularium, mundanorumq;, & ſui Principatus cura, eum intendere oportere iuxta Dominicam doctrinam ſcriptam in Geneſi, dum inquit, dimittes Patrem, & Matrē, & adhærebis vxori tuæ, ideſt Sanctæ Matri Eccleſiæ. Et vt manus ſuas atque mentem à cogitationibus, & palpatione temporalium redderet

expeditas,

*expeditas, quatenus liberius Deo omnipotenti in ſui Vicariatus exequutione famulari valeret, ſuum vltimum die ſexta vltimi lapſi menſis Decembris condiderit teſtamentum, in quo inter cætera de dignitatibus, principatibus, dominijs, rebusq; & bonis ſuis, per legata, inſtitutiones, fideicommiſſa, aliasq; vias, & modos legitimos plenius diſpoſuerit, quibus per infraſcripta in aliquo derogare non intendit. Hinc eſt quod idem præfatus Sanct. D. noſter in Chriſti Vicarium nuper electus, ante aliqualem Sacrorum Ordinum ingreſſum, ex eius certa ſcientia, & poteſtatis plenitudine præfatũ Illuſtrem D. Ludouicum de Sabaudia primogenitum ſuum, in ſui præſentia, atq; eius Venerabilis Conſilij, cuius ad hoc Tribunal elegit ſpecialiter, propter hoc conſtitutum recipientem, & ita fieri humiliter ſupplicantem, à patria poteſtate, & ipſius nexibus, quibus Romano iure prius ſubditus exiſtebat, exemit, liberauit, emancipauit, & extra eiuſdem Patriam poteſtatem poſuit, ac plenariæ reddidit libertati eundem ſui iuris plenoiure efficiens per præſentes. Retentis tamen in ſua Patria poteſtate Illuſtribus * Amedeo Comite Vercellarum, ac Ludouico, &c. In pretium autem huiuſmodi emancipationis, ipſe Sanctiſſ. Dominus noſter Electus eidem Illuſtri D. Ludouico primogenito ſuo præſenti, & ſtipulãti dedit, ceſſit, remiſit, et perpetuo tradidit, datq;, donat, cedit, & remittit per præſentes titulo puræ, perfectæ, ſimplicis, & irreuocabilis donationis. q̃ dicitur inter viuos, dignitates, Ciuitates, Ducatus, Principatus, etc. Deueſtiens ſe de dictis ſuis dignitatibus &c. Acta, data, & publicata fuerunt præmiſſa in Caſtro Thononij in Capella ipſius S. D. N. poſt Miſſarum ſolemnia, die Mercurij Feſtiuitatis Epiphaniæ Domini 6. die menſis Ianu.*

* Hic eſt ille qui deinceps Beati nomẽ meruit.

Digitized by Google

Anno 1440. Indict. 3. Aſſiſtentibus ad hæc, & præſentibus Reuerendiſſimo in Chriſto P. D. Ludouico titu. S. Cæciliæ S. R. E. Præsbytero Cardinali Arelatenſi. Reuerendisq; in Chriſto Patribus, & Dominis, DD. Franciſco Gebennenſi, Ludouico Lauſanenſi, Georgio Auguſtenſi, Othone Derthuſenſi, Georgio Vicenſi, Ludouico Viſenſi, Ioanne Argenſi Epiſcopis. Nec non Spectabilibus Egregijs, Venerabilibusquè, & Nobilibus viris DD. Ludouico Baſtardo Achaiæ Domino Raconisij, Mareſcallo Sabaudiæ: Ioanne de Montelupello, D. Choutagniæ militibus. Iacobo de Balma, Ioanne de Compeſio Domino de Thorens, Ludouico de Montheolo Præſidente Conſilij Camberij reſidentis &c.

C. Baſileenſes Felicem aduocant.

Non ferebant Baſileenſes tam longā Felicis ſui moram; iteratis igitur legationibus miſſis, tandem flexerunt inuitum vt Baſileam cogitaret, vbi de more coronaretur. Vere exeũte bonus ſenex iter ingreditur ingenti ſuorum caterua ſtipatus (Quatuor milia nobilium virorum in equis adfuiſſe leguntur) magna omnium populorum quocunque tranſiret gratulatione exceptus. Baſileam 24. Iunij anni quadrageſimi poſt milleſimum quadrigẽteſimum tenuit, vbi adeo celebri apparatu, & aduenarum concurſu tiaram accepit Pontificiam, vt nõ aliam auguſtiorem inaugurationem apud veteres potuerit vir doctiſſimus Franciſcus Modius reperire, quam velut formulam in pandectis ſuis triumphalibus exhiberet. Eam ſicuti reliqua elegãtiſſimè Syluius expreſſit in ſuis ad Ioannem Segouienſem literis quas hic ſubijcio.

VENE-

Digitized by Google

VENERABILI, ET DOCTISSIMO viro Magiſtro Ioanni de Segouia Theologo excellenti: Sanctiſſimi Domini Noſtri Felicis ad dietam Bituricenſem Oratori.

AENEAS SYLVIVS SENENSIS DOMIno ſuo Ioanni de Segouia, ſacræ Theologiæ Magiſtro. S. D.

CORONATIONEM Summi Pontificis vario rumore notam eſſe tibi, tuiſque collegis arbitror. Quia tamen varia apud vos conficta eſſe opinor, quæ inter ſe non cohæreant, dignum ipſe putaui meis literis ſatiſfacere veritati, vobiſq́; ibidem ſitientibus harum rerum narrationem efficere veridicam, remq; (vt geſta eſt) ad vnguem referre: atq; (vt breuior ſim) iam incipio. Romanorum Pontifices coronari in generalibus Concilijs rarò auditum eſt, tu tamen & Alexandrũ Piſis, & Martinum Conſtantiæ coronatum audiſti, ſed præcedet huius coronatio tanto illas, quanto & Felix illos nobilitate anteit. Ita enim iudicium eorum eſt, qui & illas, & hanc contemplati ſunt. Referam igitur ego de hac, ſed paucis: non enim vt hiſtoricus ſcribo, ſed vt ſeruus Domini res geſtas epiſtolari genere doceo. Tranſeo electionem de hoc Principe, autoritate huius Synodi factam, quam alio loco non paucis verbis ſcripſi: prætereo legationem ſibi miſſam, & conſenſum per eum præſtitum, de quibus tu planè inſtructus es. CI. Solẽnis coronatio Felicis.

Pergo ad coronationem, quæ nono Kalend Auguſti celebrata eſt in Ciuitate hac Baſileenſi. Ipſe autem Dominus noſter triginta ante diebus, octauo Kalendas Iulij ingreſ- Theatri deſcriptio.

Digitized by Google

ſus erat: cuius introitus ſuum habere tractatum meretur, ſed non omnia vno in tempore ſcribi poſſunt. Locus eſt ante cathedralem Eccleſiam late patens, vbi ſpectacula populo fiunt: illic ſublimis tumulus conſtructus eſt, & ſuper illum altare, excelſo in angulo: deſuper precioſi panni, ne vel pluuia, vel Sol noceret. Proſpectus exinde in omnem plateam fuit: huc clerus, & vniuerſa nobilitas, ipſeq; coronandus Pontifex conſcendit. Exiſtimati ſunt hominũ circiter duo millia tribunal conſcendiſſe. Venerat præcedenti die Ludouicus Sabaudiæ Dux, ipſius Romani Pontificis generatus: vir comis aſpectu, & affatu placidus, conſilio, & animo iuſto: ſtatura illi mediocris, & oculi præalbi. Cum ipſo autem Summo Pontifice alter generatus profectus erat Philippus Comes Gebennenſis, ſumma virtute, & honeſto corpore, honeſtiſq; moribus adoleſcens: ſociuſq; illi Ludouicus Marchio Salutiarum fuit, quo in homine neſcias formã, vel eloquentiam magis admirere. Magna præterea tam Ducem ipſum quàm etiam Summum Pontificem tota Sabaudia ſequuta nobilitas erat, ſui Principis viſura coronationem: contenderantque ita (vt fit) ſinguli ſpectabiliores venire. Itaq; fuit magnus virorum, magnuſque equorum apparatus, quorum numerus ad quatuor millia diiudicatus eſt. Ex Alemania Marchio de Roetelin iuuenili ætate decorus, flauos vento crines fatigans. Conradus de Vuinſperg Romani Imperij hæreditarius camerarius, annis, & ſenſu ſenex. Comes de Tierſtein cui nemo forma cõparandus iuueni viroque fuit, nec adhuc ſenem ſenex æqualem habet. Oratores Argentinenſis, Bernenſis, Friburgenſis, Solodorenſeſque, omnis circumuicina nobilitas confluxit. Tantaq; forenſis populi multitudo concurrit,

Sabaudienſiũ inſignis apparatus. Ludouicus Dux.

Philippus Comes Gebennenſis. Ludouicus Marchio Salutiarum.

Quatuor Equitũ millia.

Digitized by Google

rit, vt nulla capi platea poſſet: ac ſi iocari licet, quicquid vini erat ſit bibitum. Capita hominum ad quinquaginta millia credita ſunt. Ciuitas verò mille robuſtos iuuenes in armis habuit, ne quid tumulti, ne quid rixarum fieret prohibituros: aciem non minus timendã quàm admirandã, horum alij tribunal, alij palatiũ obſeruare; tecta omnia domorum feneſtraſq; & arbores viri, fœminæquè obſederant. Platea verò ſic populo plena fuit, vt nec ſinapis grano dediſſet locum. Quinquaginta millia hominũ cõfluunt.

CII. Felix procedit.

Quibus omnibus expectantibus, aduenit in ipſo diei ortu Felix electus, veneranda canicie, decorus aſpectu, & facie tota prudentiam præſeferens ſingularem. Statura hominis (vt filiorum) communis forma egregia, quantum ſenio datur, pilus albus, cutisq; ſermo paucus, & moroſus. Ante ipſm Prælati infulati, & clerus vrbanus cum reliquis introierant. Locatus ille in præeminenti ſede eſt: cæteriſque conſidentibus, & facto vbique ſilentio, ceremoniæ inchoatæ ſunt; qua re ſic peritum ſe Felix oſtendit, vt nihilo monitoris eguerit. Putaſſetq; nemo patrem illum ſæcularibus negotijs quadraginta, aut eo plus annis verſatum, tantum vnquam ocij potuiſſe habere, vt ritum Eccleſiæ ſic imbiberet. Caſtigabat itaque ipſe per ſe aliorum errata, nec aliquid vel minimum extra ordinem fieri ferebat. Celebrauitquè Miſſam ſuam, & cantando, & legendo, pluſquam dici poſſet ſolenniter, nihil omittens, nihil peruertens. Mira res omnibus, & ſpectaculo digna videbatur, Patrem illic grãdæuum celebrare, illic prolem inſignem celebranti ſeruire. Quaſi enim nouellæ oliuarũ circum altare duo nati officioſe, attentèque, quantum laicis permittitur miniſtrabant, meritoquè dici hunc Felicem omnes aiebant, qui poſt exa- Celebrat. Miniſtrant filij.

ctam

ctam laudabiliter in ſæculo vitam, poſt adminiſtratum feliciter Ducatum, generoſamquè ſobolem educatam ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ accerſitus à Deo eſſet. Vidiſſes plurimos præ lætitia lacrymantes, benedicenteſquè Dominum, qui ad tantum ſpectaculum viuere eos permiſiſſet, qui rem ſuis oculis intuerentur, antea nec viſam, nec auditam vlli.

Tiara inſignitur.

Vt igitur finita Miſſa eſt, Summuſquè ipſe Pontifex conſecratus, ſacer Tiaras triplici corona inſignis, compluribus gemmis prælucidus allatus eſt. Spectanteq; vniuerſa multitudine, & animam comprimente Ludouicus Cardinalis (cui id officij quod Hoſtienſi Epiſcopo debetur, Synodus commiſerat) quaſi fructum ſuorum laborum iam colligens, coronam ipſam excellentis precij, quã plurimi ad triginta millia aureorum cenſuerunt, Felici capiti Felicis impoſuit: moxq; per vniuerſos acclamatum eſt, vt vita Papæ eſſet, poſtmodumq; plenariæ indulgentiæ, quas nunquam antea populus ille habuerat, conceſſæ ſunt. Completiſquè coronationis ſolennibus ex tribunali in proceſſionem eſt itum: omneſquè in equis per ordinem, progreſſi ſunt, qui huiuſmodi eſt habitus: Primi omnium laici & vulgaris turba famulantium. Secundo nobilium diſtinctæ familiæ. Tertio nobiles ipſi & milites. Quarto loco Barones, Comites, & Marchiones. Quinto, Dux ipſe conſilio ſuorum comitatus, aureis veſtibus in terram demiſſis. Inter eos vt potuit, expompare nixus eſt quilibet. Hic qui oſtro, & auro tecti, hic ſaga militum gemmis, & argento onuſta: hic tubæ ti bicineſquè, & mimorum cohors præludens: variæ veſtes varia ornamenta, vt nulli ſat vidiſſe ſit viſum. Poſt hos vrbanus clerus in pedes Reliquias ſanctorum vectitãs, et

Tiaræ prætium.

Proceſſionis ordo.

puero-

puerorum cantantiũ candidus ordo. His ſuccedebat vmbraculum rubei croceiq; coloris, & apud illud ſcutiferi, quos honoris vocant, locati erant, rubeos geſtantes pileos. Iuxta hos fuiſſent præfecti nauales, ſi qui adfuiſſent, ſed loco illorũ heremitæ Ripalliæ, quos milites Sancti Mauritij vocitant, ſuffecti ſunt; viri graues, & æuo præmaturi, qui Felicis Papæ, & ſæculi, & religionis fuerant Comites, & qualis habitus illius antea fuiſſet, in ſuis habitibus præmonſtrabant, plurimumq; reuerentiæ videbantur mereri. Illinc Prioribus quibuſdam pluuialia ſine mitra gerentibus locus fuit. Mox ſucceſſere ſcriniarij & Aduocati pluuialia ex tranſuerſo geſtitantes, habitum cantui quem habuerunt valde conformem. Idem geſtamen debitum his qui ſequebantur iudicibus, quod minimè obſeruatum eſt in curia promotorum: habuerunt autem cappas, & pileos tanquam Prælati. Hos ſequuti ſunt Abbates, & inde Epiſcopi ornati pluuialibus, infulatiquè equis inſidentes phaleratis. Hoc in ordine præteriuimus duodecim equos, qui ante vmbraculum candore niuali, quales Rheſus ad Troiam duxit, rubeo tamen tegimine veſtiti collo tenus procedebant. Secundum Epiſcopos Saluatoris noſtri Domini Ieſu inter magna luminaria corpus deferebatur. Cuius conducendi cura Ioanni Epiſcopo Argenti Theologo non minus vtilis, quàm laudatæ doctrinæ tanquam Sacriſtæ cõmiſſa erat. Sequenti in ordine duo Cardinales, duoq; Epiſcopi Dertuſenſis, Vicenſiſq; qui Diaconorum Cardinalium tenebant locum. Vltimo in loco ſummus ipſe Paſtor aureo tectus papilione triplicem geſtans coronam, populoq; benedicens, vnus omniũ oculis deſideratus, inceſſu maturo procedebat, Marchione di Rotelem, & Conrado de Vuinſperg equum eius du-

Eqtes Mauriciani.

ductantibus. Poſt eum Theſaurarius, clericiquè cameræ, & qui pecunias in populum iaciebat, ornatu decenti veniebant. Simul quoq; Principū, qui aderant Oratores magnaq́; & cōfuſa populi multitudo. Sicq́; per plurimos Ciuitatis receſſus eſt itum, donec Iudæi illū expectantes noua, & fallaci ſpe ducti, legem Moſaicam obtulerunt, quàm ipſe laudans, ritum damnauit eorū. Exinde verò in cœnobium Prædicatorū ventum eſt, vbi Fratres cū Priore obuiā procedentes, Papamquè ante Altare ſtatuentes claues cœnobij ſibi dederūt. Moxq; finito lætitiæ cātico, hora iā poſt meridiē tertia magis ad quietē, quā ad prandium, quāuis adhuc ieiunus foret, dimiſſus eſt felix.

Ad Dominicanorum Templum adit.

CIII. Viſceratione, & publicas Epulas facit.

Altera die illuc ad Miſſam omnes conuenere, qua finita, conſumatiſquè nonnullis, quæ reſtiterant ceremonijs, prælatis omnibus qui interfuere, duo argētei nummi, & vnus aureus traditus eſt: atq; exinde tota multitudo ad conuiuium conuocata, vbi nec lex orchia, nec fannia, nec licinia locum habuerit, nullaquè alia ſumptuaria quibus, vel pretium eduliorum, vel obſoniorum copia præſcribitur. Cœnitatum eſt, vt libuit lautè, ſumptuoſeq;, pranſitatum quoq; dubium eſt enim, prandium an cœna fuerit: horis circiter quatuor, homines plus mille cœnati fueruntur. Pincernæ Summo Pontifici pulcherrima proles, duo filij fuerunt, Architriclinus Marchio Salutiarum. Ad horam tertiam poſt meridiem ceſsatum eſt. In hora vero quinta, eodem ordine quo itum erat reditum: ductusq́; Papa ad virginis templum, quod eſt Baſileæ præcipuum, in Palatium per poſticum ad quietē redijt. Hæc de coronatione Domini noſtri Sanctiſſimi Felicis Quinti volui vt ſcires: tu nunc quibuſuis cōmunica, daquè operam, vt patrem hunc quem tanti facio, quam primum

repetas,

repetas, feliciaque de veſtro Conuentu nobis reportes. Vale, ex Baſilea, Idibus Augusti Anno Domini milleſimo quadringenteſimo, quadrageſimo.

Quæ autem deinceps à Felice geſta, quantaq́; integritate cuncta ſint adminiſtrata ſcribere animus erat, niſi Geneuenſes, meliores nobis tabulas inuidiſſent, ex quibus, ſicut hactenus fecimus temporum illorum memoriam fideliter hauriremus. Nam cum diu in ea vrbe (cuius etiam poſt abdicationē ſuam Epiſcopatū retinuit) ſediſſet, factū inde eſt vt acta eius in publicas autoritates (Regiſtrum vocant) relata, apud eos manerent. Itaque etiamnum hodie in publica illius Ciuitatis Bibliotheca ſex, ſeptēue volumina videre eſt, quibus epiſtolæ, Bullæ, cæteraq́; id genus continentur, quæ toto nouennio ab eo ſunt profecta. Venio tamen in ſpem fore vt Geneuenſes in animum aliquando inducant hęc Sabaudicę domus monimenta, nullo ſuo damno, magna Sereniſſimi Ducis voluptate, vel gratum munus ei, vel iuſto redempta pretio ſponte concedere. Interea vt innocentiam Amedei noſtri luculentioribus prodā documentis, nonnulla perſtringam ex quibus fieri coniectura poterit, quàm multos in obedientia ſua haberet, nam & hoc ad conſcientiā eius pertinet, quam tāto ſecuriorem ducere poterat, quo plures, Religioſioresq́; Prælatos ſecum ſentire agnoſceret. Qui vel odio vel incuria veri ſcripſere, Heluetios dumtaxat, & Sabaudos ab Felice ſtetiſſe, Reliqui maiorem Europæ partē in obedientiam eius tranſiſſe narrant. Sabellicus ſa-

CIIII. Quā latè patuerit Felicis obedientia.

Regiſtrorū eius libros Geneuēſes habent.

nè (quanquam Eugenio Veneto amicior) ita ſcribit. *Fauere nouo Pontifici* (Felici) *Carolus Galliæ, & Alfonſus Aragoniæ Reges, Philippus Vicecomes, & Fridericus Imperator. Amedeo*, inquit Ioannes Marius Belga, *Pontifici creato Imperator Fridericus tertius Pater Maximiliani Imperatoris, Carolus ſeptimus, Alphonſus Rex Aragoniæ, Philippus Maria Dux Mediolanenſis adhæſerunt. At Dux Burgundiæ quantumuis inter ipſos eſſet affinitas, ei vt dicunt contrarius fuit, quod Amatus ipſum in bello, quod ante aliquot annos contra Ducem Borbonium mouerat, deſeruiſſet. Affertur Burgundum pace cum Borbonio facta tunc Duci Sabaudiæ ſignificaſſe, ſe quodam tempore huius futurum memorem, idq; vſque ad tempus Concilij Baſileenſis fecit. Nec dubitandum cum eius autoritas, ac exiſtimatio tunc permagna eſſet, quin facile Felici nocere potuerit*. De eadẽ re ſic Chriſtophorus Hartmannus, *Felicis electionem probarunt, Obedientiamque promiſerunt Albertus Dux Auſtriæ Cæſaris frater, Albertus, & Stephanus Duces Bauariæ, Magnus Magiſter Boruſſiæ, Alezabetha Alberti Cæſaris vidua cum ſuis Bohemiæ, & Ungariæ Regnis, Sabaudia, magna pars Inſubriæ, Heluetia: Adhærerunt etiam Concilio Rex Franciæ, & Dux Burgundiæ &c.* Mihi non niſi certa ſcribere meditanti illud ſuccurrit, vt ex ijs quæ per eum in diuerſis Prouincijs geſta ſunt, in cognitionem veniamus eorum qui eius ſe Regimini permittebant.

Enn. lib. 3.

Lib. de ſchiſ. cap. 14.

In Annal. Heremi B. Virg. ann. 1440.

CV. Cardinales e diuerſis prouincijs creat.

Cum igitur cætera omnia ſingulari prudentia, & caſtiſſima integritate moderaretur, tum in prælatis Eccleſiæ legendis diligentiam adhibebat ſummam: Purpuram Eccleſiaſticam Chriſti ſangui-

ne

ne tinctam ſanguini ſuo (licet plures ex filio Ludouico nepotes haberet) numquam immiſcuit: ſed eam virtutis præmium, non neceſſitudinis pignus eſſe voluit. Epiſcopos celeberrimarum Eccleſiarum ad eam dignitatem euexit, Argentinenſem in Germania, Nouarienſem in Longobardia, Lauſanenſem in Antuatibus, in Holandia Traiectenſem, in Germaniæ Italiæq; finibus Tridentinum, Dertuſenſem in Hiſpania, Vicenſem in Luſitania, in Friſia Friſingenſem, in Sicilia Panormitanum, in Polonia Geſnenſem. E Gallia plures oſtro donati, Pariſiẽſis, Lugdunenſis, Turonenſis, Nannetenſis, Caſtrenſis, Aquenſis. Nec Sabaudiam ſuam fruſtrari hoc honore ſuſtinuit, aſſumptis ex ea Tarẽtaſienſi, Geneuenſi, & Maurianenſi. Verum qui erga familiæ ſuæ Principes inexorabilis fuit, aliarum virtutem facile cohoneſtauit. Nam Alexander Ducis Moſcouiæ filius, Tridentinorum Antiſtes, Ioannes Friſingiorum, Bauarici, Ioannes Nannetenſium Regij apud Britannos ſanguinis, in eorũ numero ſunt quos Cardinales ab eo dictos recenſuimus. His ego Bartholomęum Viteleſcum, virum nõ minus ea tempeſtate ſanctimoniæ fama quàm maiorum nobilitate, & rebus præclarè geſtis celeberrimum accenſerem, niſi eius ſingularis demiſſio hanc Amedeo gloriam inuidiſſet.

Nullum tamen ex conſanguineis.

Ex Onufrio, & Ciacono.

CVI. Gallia tota illum veneratur.

Eius igitur latiſsimè patuiſſe autoritatẽ neceſse eſt, ad quem è tam diuerſis Regionibus Principes viri, ac Prælati adirent eius dictis audientes futuri. Certè Galliam vniuerſam ei obſequentem fuiſſe

non modo ex Metropolitanorum, & Primatis ipſius cõſenſu intelligimus, ſed ex ipſius Regis Caroli factis; eius enim precibus adductus eſt Felix, vt quos dixi è Francorũ numero in Senatum ſuum adlegeret, eumq; ipſum qui Carolo erat à confeſſionibus Ioannem Nannetẽſem eodem honore ꝓſequeretur. In Germania, tametſi multos habe-

Et Bauaria.

ret in partibus, atque in primis Potentiſſimos Bauariæ Duces Albertum, & Stephanum (Sabaudis ſemper mira conſenſione deuincti fuere Ba-

Et Auſtria.

uari) & ipſius Cæſaris fratrem Albertum, conuenerat tamen inter Electores, vt medij ſtarent, & tertiam quodammodo factionem componerent, quam neutralitatem dixere: Cum tamen, ad ſuas

Lib. 28. chrõ. Germ.

Germani cæteri Neutrales.

quas vocant dietas ter coiſſent, *Pauci ſunt inuenti*, inquit Mutius, *qui non conſentirent Concilio Baſileenſi contra Eugenium*. Sed erant in illis, qui iactarent vtilia opera volũtate inchoari, occaſione perfici, ſeruiendum itaque tempori, & dum in arcto eſſent Eugenij res, redimenda eſſe priuilegia quæ

Adhæſionẽ cũ Eugenio fœdẽ paciſcuntur.

alias haud facile pararentur. Inſtare igitur illi, vrgere, & diſceſſionem ab eo palam minari ni poſtulatis annueret. Trepidare Eugenius, adeoque conſternari, vt paucis antequam è viuis excederet menſibus multa illis indulſerit, quæ laxiorem in Germania deinceps fecere diſciplinã Eccleſiaſticam. Id ſcilicet Syluius è legatis vnus

Cap. 42. lib. de Europa.

alio colore diſſimulare voluit his verbis. *Cum ſex Principes Electores in eam ſententiam fœdus iniſſent vt niſi Eugenius poſtulatis eorum annueret, (poſtulabant autem res prorſus negandas) in Amedei quem Felicem*

Quintum

Quintum appellabant, obedientiam tranſirent, illorum Conſilia Federicus peruertit &c. Sed Doctor Cocleus rem vt erat fideliter narrauit. *Romæ,* ait, *Eugenius Papa ab Oratoribus Germanorum perſuaſus, & exoratus ad tollendam inclitæ nationis neutralitatem, lõgam Concordiæ Bullam edidit, in qua ſanè pacis gratia multá Germanis diſpenſatione indulſit, admiſit, approbauit, & ratificauit, quæ tempore ſchiſmatis facta, citra, & contra Sedis Apoſtolicæ autoritatem per ſeſe inualida erant.* Senſit Pius hæc vera eſſe, quare alio loco ſatis habuit dicere, *Eugenio in lecto ægritudinis conſtituto nos inquit ad eum venimus ab Imperatore Friderico tranſmiſſi, & nationis Germanicæ nomine neutralitatem abdicauimus, obtentiſq; nonnullis literis* (erubuit ſcilicet plura diuulgare) *quibus deſiderio Germanorum fieret ſatis, obedientiam Romano Pontifici reſtituimus.*

Hiſtor Huſſ. lib. 9.

Lib. de Moribus Germanor.

CVII. Fridericus Imperator, in cũ inclinat.

Sed quoniã Friderici Imperatoris meminimus, cui ſe parti addixerit intereſt referre. Sabellicus, & Ioãnes Marius Belga Felici illũ inſcripſere, non nemo alius Eugenio, ego verius dixerim feciſſe illum qđ plerique omnes id æui Principes, vt nunc ſe Felicianos, nunc Eugenianos prædicarẽt, vt ſe nunc hic, nunc illic varia aperiebant commoda. *Mira rerum mutatio* (aiebat per hæc tempora Syluius) *qui ante fauebant Concilio, iam impugnant, & qui impugnabant, modo fauent. Luſus iam Eccleſia eſt, qualem de pila fieri videmus, dum huc, atque illuc impellitur luſorum ictibus percuſſa, ſed aſpicit ex alto Deus &c.* Eadem cum Cardinali Arelatenſi expoſtulabat, cum ita ad eum ſcriberet anno 1443. *Poſt hæc* inquit, *ſignificabas receſſum illorum Cardinalium ex Baſilea*

Principum inconſtãtia. *Ep. ſt. 10.*

Epiſt. 183.

ſile a quos abiiſſe inuitos aſſeruiſti. Cupiebamq; vt omnia Maieſtati Regiæ referarem, ſed iam omnia ex Italia erant ſibi nota, nec latet Regem noſtrum pleroſquè Principes eſſe qui magis ſua quærunt, quàm quæ Ieſu Chriſti. tum ſubdit, *ſcripſit nuper Serenitas Cæſarea ſacro Concilio in fauorē Henrici viri optimi, & literati* (is erat Cācellarij Cæſarei frater) *vt eum Friſingenſi Eccleſiæ præficeret Epiſcopum. Aeſtimaui tantum Principē exauditum iri; præter opinionem accidit vt preces eius reiectæ fuerint. Interim electus eſt per capitulum ſiue iure, ſiue iniuria Cardinalis Sancti Martini. Is recurſum ad vos habebit confirmationis cauſa. Rurſus ſcripſit Cæſareum culmen vt ſuperſedere velitis &c.* Vrget maximè tota epiſtola, vt Cæſari gratificetur. Obſecro, ſi Fridericus Felicem damnabat, cur Concilium legitimū habebat, ab eoq; poſtulabat Epiſcopi confirmationem? Certè ſi verū amamus Cęſari Pontifex erat ille futurus, qui maiori præmio inuitaſſet. *Fridericum,* ait Bergomenſis, *vt tenacem omnes accuſabant, & ad promiſſa minus attentum:* percrebuerat autem latè rumor ingentem eſſe apud Felicem pecuniarum vim, quam illi per tot annos pacificè regnanti ſuccreuiſſe putabāt: huic igitur Fridericus inhiabat: cogitanti vero qua via eam corraderet, ſuccurrit Amedeo filiam eſſe quam ducere poſſet, ſi dotem illi Pater grandem diceret: eius rei cauſa Baſileā iter flexit, cum Felice in arcano locutus eſt, ſpe iniecta vt ſi inter eos de nuptijs conueniret, palam ſe ipſi adiungeret, ſed vbi ſenſit Amedeus non tam neceſſitudinē ſuam, quàm opes quęri, quamquam alia ſuadētibus Patrum

In chron. an. 1441.

Fridericus Felicis opibus imminet. Gener eius fieri tentat.

trum

trum plurimis, negotium eluſit, cupiditati Cæſareæ imparem ſe profeſſus. Cæſar ſpes ſuas fruſtratas grauiter tulit, ſed vt erat tegendis cõſilijs artifex optimus, Felici corruptelæ meditatæ famam inuſſit, vt auiditatis ſuæ infamiam tegeret; quæ omnia deinceps mirificè auxit Syluij (qui deſerto Felice Cæſari factus erat ab epiſtolis) ingenioſa dicacitas: ſed ego Nauclero potius accedo, qui neutri vel infenſus, vel obnoxius, nulla neq; aſſentandi, neque detrahendi libidine ab oculato teſte, quæ de hac re accepiſſet ingenuè tradit: *Audiui ego*, iquit, *à quodam Prælato, qui Concilio interfuit renuiſſe Felicem dotis tantum dare, licet Concilium omnino ſuaſerit dãdum*. Hac igitur ſtatione deſerta Cæſar quo ſe benignior ventus intendebat, vela cõuertit, & reapſe verum eſſe demõſtrauit, quod Iulianus Cardinalis apud Gobelinum diſſerebat.

Eluditur à Felice.

Vol. 2. Gener. 48.

CVIII. Felici opes ſuæ damnoſæ.

Apud Gobeli. l. 7. Comment. Pij 2.

Nam cũ Eugeniani magnopere ſibi à Felice metuerent, quod opes ineſtimabiles ſepoſuiſſe crederetur. *Nihil eſt* (aiebat Iulianus) *quod tam nobis proſit quàm pecunioſum aduerſarium exiſtimari, cuncti ab eo aurum petent, neque impetrantes inimici abibunt. Nec vana* (ſubdit Gobelinus) *Iuliani opinio fuit. Carolus Franciæ Rex cum aureorum triginta millia petiuiſſet, neq; impetraſſet, Eugenium ei præpoſuit. Idem fecit Dux Mediolani qui centum millibus aureis, & Bononiam vendere, & Nicolaum Picininum cum nouẽ millibus Equitum in eius exercitum fruſtra tentaſſet aſcribere. Solebat Amedeus dicere cum aurum ab eo peteretur, pulcherrimam ſibi ſobolem eſſe, nolle ſe filios inopes relinquere*. Certè ſi largitionibus aditum ſibi ad ſupremam

Eugenio Carolus nunquam adhæſit, nec Felicẽ, vt vult Gobel. deſeruit

Mediolanẽſis inſidiatur opibus Amedei.

premam dignitatem emuniuiſſet, ijſdem artibus quibus parauiſſet retinere ſtuduiſſet, idq; vel maximè Felicis laudibus accreſcit, quod ſuis opibus tueri nollet oblatum ſibi Pontificatum, quẽ alienis Eugenius iure ſibi debitũ conſeruare non dubitaret. Certè ſciebat Felix non alijs adductum ſuaſionibus Alphonſum Aragonum Regẽ vt Eugenio aggregaretur, quàm his legibus, *vt Eugenius Renato* (non ſine magno Gallici nominis dedecore) *abdicato Alphonſum Regem Neapolitanũ decerneret, appellaretq́; Ferdinando Regis filio* (licet notho) *cui Rex poſt mortem Regnum deſtinauerat, poteſtatem ſuccedendi faceret, Terracinamq́; Regno adÿceret. Alphonſus contra Eugenij autoritati ſe ſubÿceret, nec patiatur tres ex ſuis qui Cardinales ſub Amedeo Sabaudienſi creati fuerant, reuertentes pro Cardinalibus ſuſcipi haberiue.*

Alphonſus Aragonum Eugenio magna mercede accedit. *Aen. Sylu. lib. de Eur. c. 65.*

CIX. Eugenij obitus, pacis initium.

Interea dum pro ſe Principum quiſq;, opes, potentiam, ſecuritatem infauſta vt plurimum nundinatione emercatur, Eugenius ad plures vocatur, anno ſæculi eius poſt quadrageſimum ſeptimo, quo cum odia quibus orbis exarſerat expirarunt. Vir fuit ingentis, excelſiq; animi, dubio (ſi Principia Pontificatus ſpectes) vitiorum, virtutumq; temperamento, & præualuiſſe illa videbantur, niſi primi Regiminis mala, vltimi virtutes obliteraſſent: nunquam fortaſſe Imperio dignus, niſi imperare prohibitus eſſet. In eius locum Romæ ſuffectus eſt bonarum artium inſtaurator, literarumq; Pater Nicolaus V. mitiſſimi vir ingenij, qui pacis, quàm belli artibus inclareſcere optabat. Id vbi

Felix ad priſtinũ ſeceſſum reſpectat.

Amedeo

Amedeo auditum; ſenſit ſe propitio numine diutius in eo gradu ſtare non poſſe, in quē non ſponte conſcenderat: & inſtabat vltima ſenectus, quā improbis conatibus in nouas ſpes diſponere, hominis videri poterat in funeris ſui pompam laborantis: iterum igitur portum reſpectare, ſanctum otium reuoluere, conſilia odiſſe, quæ quietem excuſſerant, in vna ſeceſſus amantiſſimi cogitatione cōquieſcere, eius oblectatione incitari ad dulciſsimum votum, tantoq; pronius iſta ſibi perſuadere, diu iam in hoc Conſilium imminente affectu. Hæc quanquam inaugurato Nicolao ſtatim agitauit, quia tamen infirmitatis humanæ natura tardiora ſunt remedia quàm mala, in alterum atq; alterum annum proceſſere. Nec liberis ingrata erat Patris deliberatio intepeſcente ſcilicet gloriæ æſtu, quem prima accēderat ſpecies Pontificatus, & ſuccreſcentibus in dies incommodis, quæ nimius initio ardor ſuppreſſerat. Sed nihil æquè vrebat animum quàm cum parentem ſuum audiebant vltimis apud maleuolos (& erat ingens numerus poſtquam Principum deferbuerat gratia) probris differri: nunquam hactenus laceſſitam familiæ ſuæ famam, vel næuo, vel næui opinione, apud poſteros ſordidandam, niſi dum recens macula eſt elueretur. Sed nihil temerè in tam arduo negotio ſtatuendum, magnis cōſilijs adita Chriſtianæ Reip. Procuratio, maioribus deſerenda: prouidendū in primis ne nō tam receſſiſſe, quàm deiectus eſſe videatur, non minorem ſpontaneæ abdicationis, quàm inuitæ aſſenſionis gloriam fore,

Conſilium probant Liberi.

De exequēdo deliberant.

re. Hęc dum ſecreti Pater filiusq; agitant, placuit Caroli Francorũ Regis interuentu præcipuo cũcta componi, adhibitis aliorum etiam Principum Miniſtris, ſic potentiſſimum Regem, Eccleſiæque pacificandæ ſtudioſiſſimum demeritum iri, & dignitati conſultum dum eius, cæterorumq; Regum precibus datũ erit, quod nulla vi extorqueri poſſit. Procliuem ad iſta viam eſſe, quando Chriſtianiſſimus Rex per literas ſæpe Felicem de concilianda pace interpellarit, Ludouicoquè Duci autor fuerit vt Patrem ad eam flecteret.

CX. Ludouicus Regẽ Francorũ adit.

His in arcano imbutus cõſilijs Ludouicus Dux, profectionem in Bituriges adornat, vbi Rex per eos dies cõſederat. Opportunus veniſſe omnibus creditus eſt, Carolo in primis, qui mentem continuo fatigabat qua via Pacem Eccleſiæ ſinceram redderet. At vbi Ludouici animum non tractabilem modo, ſed penè vota ſua anteuertentem vidit, exultare ſcilicet ille magnificè, & rem prope confectam habere. Multus igitur illis per eos dies ſermo, Delfino in conſiliorum arbitrium aduocato: & quia Nicolaum venerari certum erat; eos enim, qui ſibi aſſidebant, & maximè Cardinalem Arelatenſem ſenſin ad ſuum ſenſum adduxerat Amedeus, id tantum agebatur quàm integra Felicis fama eſſet exequendum. Colloquio ſuper ea re habẽdo Lugdunũ deligitur, eo legati Francorum, Siciliæ, Angliæq; Regum, Treuirẽſis Antiſtes, atq; oratores Coloniẽſis Præſulis, & Saxoniæ Ducis (cui hæc vnio maximè cordi erat, credo ob antiquas familiæ ſuæ cum Sabaudienſi neceſſitudines

Colloquiũ ſuper ea re Lugduni habetur. *Meminit Geneb. an. 1449*

ceſſitudines

ceſſitudines) conuenerunt, affuit quoq; à Felice miſſus Cardinalis Arelatenſis, vna cum Monio-uenſi Præpoſito, nec minore zelo ille Nicolao acceſſit, quàm ab Eugenio diſceſſerat: Amedei tamen honori tanto impenſius ſtudendum affirmabat, quanto caritatis in Eccleſiã ſuæ illuſtrius documentũ parabat. Conſuli ante omnia Pontificem placuit, vt de eius in Felicem animo certiores facti, felicius omnia componerẽt. At diſſidia extingui prope ambitioſis votis optabat Nicolaus, ſic igitur ille reſcripſit.

Nicolaus &c. Regis Pacifici in cuius ortu Angeli in terra bonæ voluntatis hominibus pacem pronunciauerunt, & in cuius manu eſt orbis terræ, & plenitudo eius, vices licet immeriti gerentes in terris, ſummo deſiderio, & cordis affectione operam damus quantum nobis ex alto conceditur, vt pacem optatam Eccleſiæ & animarum Chriſti fidelium, quorum cura nobis cælitus eſt commiſſa, ſalutem per Dei ineffabilem miſericordiam Catholicorũ Principum interueniente opera conſequamur. Sanè enim poſt turbulentas tempeſtates, quibus hactenus temporum culpa Eccleſia Dei quaſſata eſt per opus, & diligentiam Oratorum cariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Frãciæ, & Angliæ Regum Illuſtrium, qui prout Catholicos Principes decet vnitatem ipſius Eccleſiæ ſummo ſtudio procurarunt ſperemus in Domino per conceſſionem, & renũciationem Amedei olim Sabaudiæ Ducis, Pacem, & vnitatem ipſius Eccleſiæ futuram, & omnes Chriſti fideles vnum Paſtorem, & vnum ouile recognituros. Nos ſi, & poſtquam ipſe Amedeus, omni iuri, quod in Papatu ſe habere prætendit, omnibus eius inſignibus depoſitis CXI. Nicolai Papæ decretũ in fauorem Felicis.

plenè, & legitimè renunciauerit, & ceſſerit, ac nos Chriſti verum Vicarium recognouerit, præfatum Amedeum autoritate Apoſtolica de fratrum noſtrorum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio aſſumimus in Epiſcopum Sabinenſem S. R. E. Cardinalem, ac eum Collegio Cardinalium aggregamus, & ex nunc talem haberi, & reputari volumus, & cenſemus, nec non priorem titulum, & locum digniorem inter Cardinales ex nunc ei damus, & dandum fore decernimus per præſentes, eiq; ex tunc pileum aliaq; Cardinalatus inſignia damus, & concedimus, ita vt illis quemadmodum cæteri Cardinales vti liberè & licitè poſſit, &c. Reliqua pertinent ad annuos redditus, & beneficia eccleſiaſtica quibus eum gaudere volebat.

CXII. Nouo decreto iterū Felicis famæ conſulitur.

Non fiebat Amedeo ſatis hoc reſcripto, neq; paci ſatis conſulebatur: quid enim fieret illis omnibus, qui in eius partes abierant? quid ijs, qui ab eo beneficia, aliaq; priuilegia impetrarāt? eos ne ad extremum deſereret, qui extrema omnia pro eo pati decreuerant? Quæ priuatim ad ipſum pertinerent impetrari haud ægrè ab Amedeo poſſe arbitri norant, ijs vero, quæ ſuorum commodis officerent, inexorabilem non dubitabant: muneris tamen ſui eſſe rebantur, vt de eius potiſſimum dignitate ſolliciti eſſent, qui vt in cōe conſuleret ſui prope obliuiſcebatur. Soluto itaq; Conuentu Lugdunenſi viſum eſt legatis præſentē adire Felicem, Geneuę vt plurimum per ea tempora commorantem; ſed illi dum ſe accingunt quid interea Romę fieret audiamus: Eodem tempore miſſi ab ijſdem Principibus ad Nicolaum Oratores

alio

alio mitiori reſcripto ab eo impetrato Felicem deliniendũ putarunt; Nam cum nihil eum vehementius vexaret, quam famoſis libellis lacerata fama, & Pontificio fulmine deuotum ſuum, ſociorumq; nomen; inducenda erat maledictorum memoria, & deuotationes non tã exoluendæ, quã irritas fuiſſe vanaſq; declarandæ, quod concepta formula fecit Nicolaus.

Tantò nos, inquit Pontifex, *pacem, & tranquillitatem cunctorum fidelium procurare conuenit, quanto deſideramus fructus vberrimos inde ſequi; In eo quippe cor noſtrum ſuauiſſimè delectatur, quòd diebus noſtris ſanctã Dei Eccleſiam in pacis, ac vnionis pulchritudine & debita integritate florentem videre valeamus. Cum itaq; ſuperioribus temporibus propter diuiſiones ſubortas inter felicis recordationis Eugenium Papam Quartum prædeceſſorem noſtrum, & tunc Baſileenſe Conciliũ plurimum turbata, ac varijs modis afflicta fuerit Eccleſia Dei, iam autem diuina fauente, ac dirigente clementia tractatu Oratorum cariſſimorum in Chriſto filiorum Francorum, Angliæ, ac Renati Siciliæ Regum, nec non Delfini Viennenſis Primogeniti Francorum Regis Illuſtris, integræ pacis, ac vnionis conſequendæ diſpoſitio optima videatur, Amedeo in ſua obedientia Felice Quinto nominato Iuri, quod in Papatu ſe habere aſſerit cedere volẽti, eis qui olim Baſileæ, nũc autem Lauſanæ ſub nomine generalis Concilij permanſerunt, & permanent concurrentibus in id ipſum, aliaſq; ad pacem Eccleſiæ, laborantibus. Cupientibus igitur quantũ omnipotens donauerit id agere, quo ad vniuerſi fideles ipſius pacis iucũditate fruẽtes animorum coniunctione ſibi inuicem cohæreant, & reiectis, quæ*

Bulla Nicolai qua irrita eſſe iubet quęcunq; in Amedeũ dicta, facta, ſcriptaue ſunt.

ex

ex diſcordia exorta fuerant, ſtatus vniuſcuiuſque honor, fama, & reputatio illæſi, & integri remaneant, literas, Proceſſus, mandata & decreta quæcunque: Nec non excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, Anathematizationisq́; etiam priuationis beneficiorum, &c. per præfatum Eugenium prædeceſſorem noſtrum, in quibuſcunq; literis ſuis, & quorumcunque tenore, & ſub quacunque data exiſtant, etiamſi cum approbatione Ferrarienſis, ſeu Florentini, aut alterius Concilij generalis, ſiue per nos, aut per alium, ſiue alios, ipſius, aut noſtra, ſeu quauis alia autoritate contra dictum Baſileenſe Concilium, & eos, qui ſub nomine Generalis Concilij, tam in Baſileenſi, quàm Lauſanẽſi Ciuitatibus memoratis fuerant, & perſeuerauerant vt præfertur, ac in præſentia perſeuerant. Nec non contra præfatum Amedeum Felicem Quintum in ſua obedientia nominatum, ac quaſuis perſonas eccleſiaſticas ſæculares, vel regulares, ac etiam laicales eiſdem coniunctim, vel diuiſim adhærentes, aſſiſtentes, obedientes, obſequentes, recipientes, ac quouis modo fauentes, eosq́; ſequentes, qui ſunt, & fuerunt cuiuſcunque dignitatis, præeminentiæ, ſtatus, gradus, ſeu conditionis exiſtant, etiamſi Pontificali, Cardinalatus, Regali, aut Ducali dignitate præfulgeant &c. Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Sedis Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, nec non de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & aſſenſu decernimus, & declaramus nullum effectum penitus ſortiri. Sed perinde haberi debere, ac ſi nullatenus emanaſſent, eaq; omnia & ſingula cum inde ſequutis in Regiſtris ipſius Eugenij prædeceſſoris, & noſtris, & alijs locis quibuſcunque aboleri, & deleri mandantes omnino

Imò induci, & obliterari penitus mãdantur.

tollimus,

tollimus, caſſamus, irritamus, & annullamus, ac pro infectis haberi volumus. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dom. 1448. 15. *Kal. Febr. Pontif. ann.* 2.

Aſſerta in poſteros aduerſus omnem detrectatorum petulantiam hoc diplomate videbatur Amedei, & partium fama, ſed quoniam eadem in pari occaſione nõnullis ſe ſe abdicantibus fuerant conceſſa, non videbatur ſatis tanto Principi conſultum, ſi ad aliorum exẽplum traheretur, & in eundem cum his ordinem cogeretur. Conſtans igitur omnium qui hactenus eum coluerant ſententia erat, ipſum à reliquis eximium eſſe faciendum, & præcipuo aliquo honore venerabilem poſteritati tradendum. Aequa poſtulari legati fatebantur, quare ſicut Romæ olim triumphare vetitis, triumphalia tamen permittebantnr, ita Felici Põtificẽ eiuranti, Pontificalia non tolli haud incommodum videbatur. Sed ſuſpecta Romanis erat vel larua Pontificatus, & meminerant in arena plures eſſe qui per ipſa feriant ornamenta. Hic ſcopulus dum ſuperatur, in annum extractum eſt negotium, & in tempore occurriſſe Bolomerio videbatur, vt per hanc moram cuncta diſturbaret. Floruerat is Amedei gratia diutiſſimè & occulta ſideratione ſic eũ afflauerat, vt in conſiliorũ conſcientiã vocaretur à Principe non audituro quid expediret, ſed prope imperata facturo; adeo nulla eſt tanta hominis ſapientia, quæ non aliquando cæcutiat? Ille quem velut alterum Salomonẽ, vel æmulis teſtibus, orbis pars melior adibat, homuncionis

CXIII. Mora paci iniecta.

Bolomerius abdicationẽ diſſuadet.

Paradin. & Vanderb. in Amed. 8. & Gobellin. l. 7. Cõmen. Pij 2.

muncionis genium reuerebatur, qui qua virtute gratioſus eſſet haud facile dixiſſes. Is igitur vt latiùs regnaret abdicationi ſemper infenſus, proiecta, vt erat audacia, hoc rerum articulo ſenem ſuperciliosè adortus, illi vilitatem ſui, populorum rumores, Principum deſpicientiam, æmulorum triumphos tantum non exprobrabat. Adeòne odioſum eſſe ipſum ſibi, vt inimicis fauere ſuſtineret, quibus nihil acceptius eſſe poſſet, quàm ſi dimiſſo Pontificatu fateretur, vel leuiter à ſe ſuſceptum, vel ambitiosè quæſitum? certare ſcilicet Reges ſolita in eum inuidia, quãquam ſpecioſo amicitiæ nomine adumbrata, vt illi tanquam victimæ pompam adornarent: & ire illũ tam ſpõte ad aram, in qua odijs, & oſtentui inimicorum, riſuique totius orbis Chriſtiani eſſet immolãdus? Hęc aliaq; inuidioſiſſima oratione exaggerata, tãta tempeſtate Amedei mentem inundarãt, vt periculum eſſet ne littus prope tenentes in altum reueheret. Senſit Ludouicus Dux à quo vẽto fœda hæc procella ſæuiret. Conſulti proceres, vno ore omnes pronuntiabant, fatis vrgentibus Bolomerium extrema hæc auſum, vt impotentis felicitatis aliquando pœnas daret. Quæſitores illi in occulto dati, qui vbi multis ex capitibus reum deprehenderunt, in carcerem rapiunt, à carcere damnatum in Lacum Lemanum præcipitem agunt, fluctibus ſatiandum, qui fluctus in Republica perpetuos excitarat.

Quæſitores Bolomerio dati.

Damnatur.

CXIV. Conuentus Geneuæ celebratur.

Defunctus hoc periculo Ludouicus inſtaurando fœderi animum denuò adijcit. Et venerant, vti deliberatum

liberatum erat, Geneuam Regum, Principumq; legati frequentes, Francus, Anglus, Siculus, Delfinus, alijq; Prælatos prudẽtia, & eruditione precipuos deſtinarant, aderat, & cum Francis Comes Dunenſis in nominatiſſimis ea tẽpeſtate Princeps, Horum ſe arbitrio totum permiſit Amedeus, nec fruſtra, eorum quippe induſtria ſingulari, & zelo ſtudioſiſſimo factum eſt, vt his legibus cum Nicolao Pontifice conueniret. Nicolaus verus Pontifex eſto, Amedeus omne ius ad Pontificatum eiurato, & Nicolao obediens eſto. Nicolaus eos honores, qui decreto Lauſanenſi continentur Amedeo decernito. Quæcunque ab eo dum Pontificem ageret acta, indulta, cõceſſa ſunt, rata, firmaquè eſſe iubeto. Sed hæc ne quis temere ficta ſuſpicetur, publicis de more tabulis firmanda ſunt. Sic igitur habet decretum Lauſanenſe.

Pax firmatur. Pacis leges.

Sacroſancta Lauſanenſis Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, Reuerendiſſimo & cariſſimo filio Amedeo, pridem Felici Papæ Quinto, Salutem, & omnipotentis Dei benedictionem. Tam maximè de venerabili Eccleſia meritus es, vt præſentes habeant vberrimam tuarum laudum memoriam, futuris quoque tui nominis felix ſempiternaq; recordatio relinquatur. Tu ad Eccleſiæ ſubſidium euocatus, quanta vnquam fuit perſecutione vexatæ veniſti. Tu illi profuſa liberalitate, ſumma induſtria, exacta diligentia, dedita opera opitulatus es. Tu tandem tranquillam populo Chriſtiano concordiam reddidiſti, pariter & pacem. Leguntur quam multi qui belli, paciſq; tempore inſeruierũt Eccleſiæ cõmemorandis

CXV. Honores Amedeo decreti in Synodo Lauſanenſi, & à Põtifice probati.

Extat apud Parauin. & Vanderb.

Amedeus de Eccleſia impensè meritus.

per omne ſæculum obſequijs: ſed perſonæ cauſa, rerum temporisq́; diſparitas ſuper eminentiam meritorum coarguunt. Nouit orbis vniuerſus ſanguinis tui regiam claritatem: vidit, & audiuit quàm continuas ſollicitudines indeſinensq́; certamen, pro autoritate ſacrorum generalium conciliorum, & veritate Catholica ſuſtinendis nobiſcum iniſti, opulenta quiete abiecta retrorſum. Nunc autem dum per tuæ humilitatis excelſum medium pax in oẽs Chriſtianos diffũditur; quo te nomine niſi ZELAROREM CONCORDIÆ, PACISQ; AVCTOREM *appellet? Quas ob res cõgratulationibus, pmeritisq́; honoribus perſonã tuã proſequi cupiens hæc ſacroſancta in Spiritu ſancto congregata Synodus vniuerſalẽ Eccleſiam repræſentãs, & inter cætera conſiderans, quod te ipſum parui facere voluiſti, vt pacata, quietaq́; exaltaretur Eccleſia; Te Sabinenſem Epiſcopum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, Sedis Apoſtolicæ in terris, & iuriſdictionibus dilectorum Eccleſiæ filiorum, nobilium virorum Ducis Sabaudiæ, & Principis Pedemontium, ac Montisferrati, & Salutiarum Marchionum, in Comitatu, & territorio Aſtenſi, nec non in Prouincia Lugdunenſi citra Sagonam, atq; Auguſtenſi, Lauſanenſi, Baſileenſi, Argentinenſi, Conſtantienſi, Curienſi, & Sedunenſi Ciuitatibus, & Diœceſibus Legatum Vicariumq́; perpetuum facit, creat, & nominat. Tibiq́; in ſancta Dei Eccleſia primum poſt Romanum Pontificem locum pro tempore conſtituit, conſignat, & decernit: qui quidem tibi ad ſuã præſentiam accedenti aſſurget, dumtaxat oris oſculum exhibendo. Atque vt altiſſimi in terris honoris quem ſola dilectione vniuerſalis pacis contempſiſti, multa manifeſtaq́; in tua perſona ſigna remaneant; tibi vt habitum*

Zelator cõcordię, pacis auctor.

Cardinalis renuntiatur.

Sedis Apoſtolicę legatus Vicariuſquę perpetuus.

Primus poſt R. Pontif.

Cui ipſę Põtifex aſſurgat; & oris oſculo excipiat.

Digitized by Google

tũ,& inſignia Papalia, dẽptis delatione Corporis Chriſti, annulo piſcatoris, cruce in pedibus, ac vmbraculo deferre, ac inſignijs, ac poteſtate legati vti quoties te extra terminos tuæ legationis egredi contigerit, valeas, Nec non vt in curia Romana, vel generali Concilio perſonaliter comparere minimè tenearis concedit, & indulget per præſentes. Datum Lauſannæ, &c. Septimo Kal. Maij, Anno à Natiuitate Domini M. CCCCXLIX.

Inſignia Papalia nonnullis demptis retineat.

Extant huius honoris Amedeo habiti nonnulla monumenta in inſignibus quæ poſt abdicationẽ eius iuſſu effićta ſunt, habent enim pro criſta ſeu Apice, alibi Claues Pontificias ſine tiara, Tiarã alibi ſine clauibus, documentum poſteris non indecore geſſiſſe Pontificatum, cuius memoriam vellet eſſe perennem. Hæc Lauſannenſes, quid Põtifex? ille ſcilicet in gaudium effuſus nec ſe præ lætitia capiens aris aduolui, largiſſimas Deo gratias exoluere, ſupplicationes per omnia vrbis, imò orbis templa edicere, exemplòque omnibus adlitandum honori diuino præire, tanta, tamquè prona omnium ordinum conſenſione, vt nullam mundo multis inante annis feliciorem illuxiſſe diem populorum illa vox teſtaretur.

CXVI. Nicolai Papæ, & totius Eccleſię pro hac pace effuſa lætitia.

Fulſit lux mundo, ceſſit Felix Nicolao

Eaq́; concordia (ait Bergomenſis) *non modo lætatus eſt populus Romanus, ſed etiam totus mundus à tanta ſeditione liberatus. Nicolaus verò ne ingratus Deo tanti beneficij videretur ſupplicationes admodum celebres cum populo, & clero habuit. Idem & omnes Italiæ populi effecere.* Sed ne intra verba hæreret Põtificis gratia, tribus Bullis eadem die (quæ fuit decima quarta

In chron.

Nouis decretis cõſulitur famæ Amedei.

Iunij eiuſdem anni quadrageſimi noni) editis voluntatem ſuam teſtatus eſt. Prima rata habet omnia indulta, priuilegia, beneficia, honores, & dignitates, quæ tum Amedeus (quem ſemper Felicem Papam Quintum olim in ſua obedientia nominatum nuncupat) tum Synodus Baſileenſis, ac deinde Lauſanenſis contulerunt, vt vel hinc approbata eſſe conſtet quæcunq; in Amedei honorem decreto illo Lauſanenſi, quod recitauimus, conſtituta leguntur. Secunda ſeuerè præcipit, vt ſi qui bonis exuti, beneficijs deiecti, vel aliquo honore deturbati ſint eo quod Felicem Eugenio ante haberent, continuò in ſuarum omnium rerum poſſeſſionem redeant, eaſquè ſibi tanquam proprias aſſerant. Tertia deniquè irrita eſſe iubet quæcunque in eundem Amedeũ, & fautores eius vel Eugenius, vel Nicolaus ſeu quiuis alius decreuiſſet, eorumquè memoriam damnat & penitus interdicit. Quæ omnia tam illuſtribus formulis, tam in Amedei honorem compoſitis verbis ſunt concepta, vt nihil vel ad memoriam honorificentius, vel ad commendationem exquiſitius potuerit excogitari. Sed præſtat pręcipua horum reſcriptorum capita recitare. Ac primum quidem ſic habet.

CXVII. Bulla Nicolai Papæ ſuper approbatione actorum in Cõc. Baſ. & Lauſan. Extat in Edit. Colõ. pag. 96.

Nicolaus, &c. Ut pacis, qua nihil deſiderabilius in vniuerſali Eccleſia ampliſſimè diffundatur, & perduret ſerenitas, & omnium corda, quos exagitauit, & defatigauit diuiſio, vnitas integra ad cuiuslibet ſtatus, & honoris proſperitatem conſolidet, libenter ſecundum noſtræ, & Apoſtolicæ autoritatis plenitudinem, magnitudinemque

voluntatis

voluntatis omnia complectimur, per quæ non ſolum ſuper præſentibus & futuris, ſed & præteritis, ut firma il libataq; permaneant, debitæ prouiſionis adhibeatur remedium. Cum itaque poſt crebras, variasq; conturbationes, quibus multis ab annis ſancta Dei ſubiacuit Eccleſia, cauſantibus diuiſionibus, quæ inter felicis recordationis Eugenium Papã Quartum Prædeceſſorẽ noſtrum, & tunc Baſileenſe Cõcilium viguerunt, hoc in noſtro tempore ex altiſſimi Dei prouidentia ineffabili, interpoſitione tractatuque Oratorum cariſſimorum in Chriſto filiorum Francorum, Angliæ, & Renati Siciliæ Regum, nec non Delfini Viennenſis primogeniti Francorum Regis Illuſtris, Pacem Eccleſiæ redditam videamus: Dum percipimus Venerabilem, & Cariſſimum fratrem noſtrum Amedeum primum Cardinalem Epiſcopum Sabinenſem in nonnullis Prouincijs Apoſtolicæ Sedis legatũ vicariũq; perpetuum Felicem Papam Quintum tunc in ſua obediẽtia nominatum, iuri quod in Papatu aſſerebat ſe habere ad huiuſmodi pacem Eccleſiæ obtinendam ceſſiſſe. Eos verò qui Baſileæ, poſtmodumque Lauſannæ ſub nomine Generalis Concilij hactenus congregati permanſerunt, ordinaſſe, & publicaſſe nobis tamquam vnico, indubitato Summo Pontifici obediendum eſſe à cunctis fidelibus, & præfatam Lauſanenſem diſſoluiſſe congregationem. Deſiderantes igitur toto affectu ea perficere quibus Chriſti fideles ſuppreſſis, & extinctis diſſentionum, & differentiarum Seminarijs communi fruantur concordia, cuiuſlibet eorum ſtatus, honoris, & reputationis, & quietis ſtabilitate firmata. Quaſcunque promotiones, electiones, confirmationes, poſtulationum admiſſiones, translationes, commendas, adminiſtrationes, & prouiſiones, Re-

ſeruatione,

ſeruationes, vniones, & incorporationes, reuocationes, pallij dationes, conſecrationes, benedictiones perſonarum, de ordine ad ordinem translationes, infeudationes, abſolutiones, liberationes, Quitationes ſuper quibuſcunque debitis ratione decimarum, indulgentiarum, Annatarũ, Diſpenſationes, tam ſuper ætatis, quàm natalium & aliarum inhabilitatum defectus, &c. Ac omnia & ſingula tam Iuſtitiam quàm gratiam cõcernentia ſiue in foro conſcientiæ, aut contentioſo, in perſonis & locis quæ tẽpore conceſſionis, & aliorum præmiſſorum obediuerũt præfato venerabili, ac cariſſimo fratri noſtro Amedeo Cardinali, Epiſcopo, legato, & Vicario ſupradicto tunc Papa Felici Quinto nominato, ac congregatis ante dictis, ſeu eorum alteri, aut alterius eorum autoritate, etiam de latere legatos, ſeu delegatos ab eis poteſtatem habentes cõiunctim, vel diuiſim qualitercunque facta, geſta conceſſa, indulta, data, diſpoſita, & ordinata, etiamſi maiora, aut grauiora, aut alterius cuiuſcunque naturæ à præmiſſis exiſtant, & ſpecialem requirentia expreſſionem, cum omnibus, & ſingulis indeſequutis. Ac etiam omnia & ſingula per ordinarios in dictis locis facta pro bono pacis, et Vnionis Eccleſiæ Motu proprio ex certa ſcientia & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine de conſenſu venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium præſentium ſerie approbamus, ratificamus, & etiam confirmamus, rataq; & firma fieri volumus, &c. Cætera deinceps in hunc ſenſum fuſiſſimè, quibus omni ſtudio cauet Põtifex vt nihil grauius illis accidat, qui Felicẽ colucrant, & oĩa ab ijs geſta, ex eorũ ſententia ſuccedant, ijs quæ in oppoſitũ ab Eugenio, vel alio quouis ſtatuta eſſent omni autoritate detracta.

Secundum

Secundum diploma poſt exordium totidem ferè verbis cum ſuperiore conſcriptum, *omnes perſonas cuiuſcunque dignitatis, ordinis, &c. quæ ratione adhæſionis, fauoris, & obedientiæ Felici, ſeu Concilio præſtitæ Benificijs, penſionibus, feudis, iuriſdictionibus &c. per literas præfati Eugenij aut alias priuatæ fuerint, aut deſtitutæ ad Eccleſias, Monaſteria, dignitates, Caſtra, Dominia &c. reſtituit, & bona huiuſmodi in illum ſtatum priſtinum, in quo ante tempus, & tempore priuationis, & deſtitutionis, huiuſmodi erant, ac ſi factæ non fuiſſent pro bono pacis, & vnionis Eccleſiæ realiter, & cum effectu reſtituendas, ac reintegrandas fore decernit, & declarat, &c.* quæ cautiones omnes adhiberi ſolitas habent. CXVIII. Bulla eiuſdem Nicolai, qua Baſileenſes eorũque fautores in integrũ reſtituuntur.

Tertium ea dumtaxat repetit, & confirmat, quæ anno ſuperiore 15. Kal. Febr. conceſſa fuerant per eam Bullam quam ſupra deſcripſimus, ſed quia tunc non planè fuerat compoſitum fœdus, ideo placuit hoc anno nouo reſcripto decerni, & promulgari, nempe vt quæcunque odioſè facta, ſcriptauè eſſent obruerentur, ac quantum fieri poſſet ex hominum memoria obliterarẽtur *perindeq; haberentur ac ſi nullatenus emanaſſent, eaq; omnia & ſingula cum inde ſequutis de Regiſtris ipſius Eugenij, ac locis alijs quibuſcunque aboleantur, & deleantur.* CXVIX. Bulla tertia qua irrita eſſe, & obliterari iubẽtur quæcunq; in Amedeũ, & eius fautores ſcripta ſunt.

Hæc de Felicis abdicatione ex antiquarum tabularum fide haud paulò certiora protulimus, quàm quę vel indiligentia, vel malignitas quorundam turpiſſima intepretatione corrupit; cum ſcribunt Felicem quaſi ex vltima deſperatione, cum iam ſe omnibus cõtemptui eſſe cerneret, nec ſpes vlla eſſet CXX. Refelluntur qui Felicem neceſſitate adactũ ceſſiſſe criminantur. Gobellinus. Sabellicus. Platina. Ciaconus. Simoneta.

eſſet obedientiæ nanciſcendæ Friderici Imperatoris ſeu precibus, ſeu minis adductum fuiſſe vt cedere vellet. Etenim ſi adeo conclamata erat, vt fingunt, Felicis autoritas, quid neceſſe erat tot tantorumquè Regum tanto tempore interuentũ adhiberi? quorſum tot honores, priuilegia, ac prærogatiuæ non Amedeo modo, ſed fautoribus eius decreta? vnde illa in tota Repub. Chriſtiana geſtientis lætitiæ effuſa ſignificatio? num horruerat Chriſtianus orbis aliorum ſchiſmatum monſtra? num iactata erat grauiſſimis procellis Eccleſia? nulla tamen tam læta celeumata, nullos tam ſinceros plauſus aut veriores acclamationes editas legimus, quàm cum auditum eſt tantum Principem omnium pene Chriſtianorum Regum affinitate ſubnixum, tam illuſtre, tam ſanctum, tam inauditum præbuiſſe veræ demiſſionis documentum. Neque ille ſanè ſic euiluerat vt non inſtaurare, ſi animus fuiſſet, partes poſſet, nec minus ſe naſcenti Nicolao, quàm adulto, confirmatoquè Eugenio præſtare formidabilẽ: ſed hanc aciem non erat ingreſſus vt in Eccleſiam, ſed pro Eccleſia ſtaret: perſuaſum illi erat vexillum Pontificiũ de ſigniferi manibus extortum grandi Chriſtiani exercitus periculo iacere; illi erigẽdo magnis hortatoribus piam manum accommodauerat, nunc videt adeſſe qui fidenti animo ſuperis fauentibus ſignum gerere poſſit, cur illi non concedat, miſſionemquè emeritus impetret honorariam? Non igitur renitenti extortum à Cæſare Pontificij vexillum, ſed à volente ſponte permiſſum; Et quor

ſum

ſum amabo Cæſarem hic miſcent, qui nullus planè huic negotio interuenit? Pontificis appello diplomata, quę retuli: Reges Principeſuè alios cōmendant, qui in partem huius ſollicitudinis venere, Cæſaris ne verbo quidem meminerunt, vt vel ex hoc cōmento de reliquis, quæ in Amedeũ conflata ſunt, coniecturam capiamus.

Qui vero nulla gratia, aut ambitione, bonæ tantum conſcientiæ pretio res illorum temporum tradidere, tabulis noſtris ſua narratione fidem faciunt, Felicèmque non inuitum, non obluctantem, non in extremis poſitum, ſed pronum, ac ſuæ ſpontis pacē orbi dediſſe memorant. Genebrardus LIBERE *ſe Pontificatu abdicaſſe* pronūtiat. Onufrius, *Papatum* SPONTE *depoſuiſſe, omneſq; Cardinales ab eo creatos, aut qui ei adhæſerant, et adhuc viuebāt in Cardinalium numerũ receptos. Facile,* inquit Mutius, *boni bonis iunguntur, niſi enim vterque Pontifex*, (Nicolaus inquam, & Felix) *bonus fuiſſet vir, non ita coniungi potuiſſent, videbatur enim difficillimum. Nam habebat Felix totum Conciliũ Baſileenſe à ſua parte, neq; dici pōt quod deſperarit rebus ſuis, magnis enim, Potētibusq;* AMICIS INVITIS *renunciauit Pontificatum. Fuit enim vir Pius, minimeq; ambitioſus*; his gemina ſcribit Philippus Bergomenſis, vbi enim Nicolai electionem cōmemorauit, *id à Deo* (inquit) *factũ fuiſſe animaduertens Felix, è veſtigio ad tollēdum omne ſchiſma Pontificatu ſe* SPONTE *abdicauit, & per Oratores ſuos eum Pontificē verum ſalutauit: quapropter Nicolaus viſa hominis humanitate, ſtatim galerum Cardi-*

CXXI. Felicē ſponte ſe abdicaſſe teſtes minimè ſuſpecti affirmant.

In chron. an. 1439.

Lib. 3. de creatio. Pontif.

Lib. 18. chrō. Germ.

In chron. an. 1447.

nalatus eidem ſolenniter tranſmiſit, atque Sabaudiæ, & Germaniæ totius legatum ex latere creauit, & quidquid in Pontificatu ſanciuerat approbauit. Hæc ille in Nicolao, paria in Felice *Verũtamen, ait, cũ pacis, & humilitatis amator exiſteret mortuo Eugenio Põtifice,* NVLLIS PVLSATIS PRECIBVS, *Nicolao Pontifici eius ſucceſſori humiliter ceſſit, & in loco priſtinæ humilitatis rurſus rediјt, quo cognito Nicolaus, & cæteri Patres (confirmatis prius omnibus per ipſum geſtis) in patria ſua eum delegatum ex latere crearunt.* Quin & poſterioris æui ſcriptores adeo hãc Amedei demiſſionem ſuſpexerunt, vt non niſi ab inſignis ſanctimoniæ viro proficiſci potuiſſe ſtatuerint. Tillius Gallus ita pronunciauit. NON INVITVS, inquit, *Pontificatũ abdicauit; tantæ enim erat integritatis vt ad tollẽdũ ſchiſma legatione fungi ſatis habuerit.* Stephanus Paſchaſius item Gallus, *Felicis recordationis Felix Pontificatum* SPONTE *deſerit: illuſtri Sanctitatis exẽplo effrænatas ambitioſorum damnans cupiditates.*

In chrõ. Frã. ann. 1440.

Lib. 3. Diſq. Franc. c. 21.

CXXII. Heremũ optatam repetit Amede⁹.

Reddit ergo Amedeus iterum ſe ſibi, qui ſe publico Chriſtiani nominis bono commodauerat, nõ addixerat: Otium ille ſuauiſſimum iuxta ac ſanctiſſimum abruperat, vt fatiſcenti propè Eccleſię valentibus humeris, quanquam magno labore ſuccollaret, nunc poſtquam inuenit quemadmodũ plus quies ſua illi proſit, quàm ætatis defectæ vltimi conatus, non ille quidem fortunæ tanquam ſe deſtituẽti iratus, aut turbdido ingenio fata obiurgaturus, ſed ſerena mente, vultuq; pari placidus, lætusq; ac velut ſibi ipſi ſuperſtes euolat ad

ambitum

Digitized by Google

ambitum ſeceſſum, in quo anxiæ illius, & turbulentæ vitæ ſeruitutem cum præſentium bonorum libertate ſecurus componat. Felix vel eo ipſo Princeps quod veram felicitatem in arcano quàm in publico facilius inueniri, ſecurius regi, dulcius poſſideri agnouit. Latere amabat Amedeus, ſed nullos Deus minus latere patitur quàm qui mundo deliteſcere ambiunt, vt ſe totos ipſi impendant, hocq; illi præſtent ne tanta eius opera ſine teſte ſint. Amedeum ex illa velut nube quam ſibi circundederat inſtar Solis omnium oculis gratiſſimi breui erumpere, illuſtribusq; miraculis tamquam radijs iuſſit inclareſcere: quod illorum temporum vicinus Bergomenſis affirmat his verbis. *Deficiens demũ in ſenectute bona poſt obitum etiam miraculis multis clarus effulſit.* Vixit Amedeus principio anni Iubilei (quinquageſimi ſcilicet poſt milleſimũ quadringenteſimum) pro fluxo & expiraturo, conſtans, & perenne celebraturus in Cœlis Iubileum. Scio de tempore alios alia tradidiſſe, ſed quod dixi certũ facit reſcriptum Nicolai Papæ, quo tanti Principis, adeoque de ſe, deq; tota Christiana Republica bene meriti memoriæ duxit parentandum, & honori iuxta ac vtilitati Sereniſſimæ domus eius conſulendum.

Sanctitatem eius Deus miraculis illuſtrat. *In chron. an.* 1438.

CXXIII. Mortuũ Nicolaus Papa inſigni ornat Elogio.

Nicolaus &c. Poſtquam accepimus bonæ memoriæ Amedeum primum Cardinalem Epiſcopum Sabinenſem ſicut altiſſimo placuit debitum naturæ perſoluiſſe, intenti cogitamus merita ſua omni amplitudine proſequi fauorum. Talem enim ſe ad vnionem, & pacificatio-

nem Eccleſiæ in oculis noſtris, & omnium Chriſti fidelium exhibuit, vt quidquid nobis factu poſsibile viderimus, ſuæ recordationi, ac honori, & vtilitati dilecti filij nobilis viri Ludouici Ducis Sabaudiæ eius nati, ac ipſorum illuſtri domui libenter tribuamus. Cupientes igitur poſt tranquillitatem, & pacē quæ domino inſpirante vniuerſali Eccleſiæ reddita eſt, omnia præterita diuiſionis, quantū cum domino poſſumus, eradere veſtigia, & maximè in præfata domo Sabaudiæ tantam quietem ſtabilire, quod à modo prætextu adminiſtrationis quam dictus Epiſcopus Sabinenſis ſuus genitor dum Papatui à nōnullis præeſſe diceretur, Et poſt ea facta per eundem Ceſsione dum legationem in nonnullis Italiæ, Galliæ, & Germaniæ partibus exerceret, præfatum Ducem aut ſuos hæredes, & ſucceſſores quoſcunq; impeti, perturbari, & inquietari non contingat, de omnibus, & ſingulis dominiorum, terrarum, poſſeſsionum, locorum Caſtrorum, & iuriſdictionum, nec non iocalium, & bonorum mobiliū quorumcunque emptionibus per præfatum Amedeum Papatus, & legationis prædictorum tempore factis & contractis, præfatum Ducem tenore præſentium ex certa ſcientia abſoluimus & liberamus &c. quæ ſolennes clauſulas habent. *Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dom.* 1450. *prid. Kal. Mart. Pontif. noſtri ann.* 4.

CXXIV. Amedeus ſua demiſſione cuncta deinceps ſchiſmata extinxit.

Facere non poſſum hoc loco, quin ſingularem Dei prouidentiam erga Eccleſiam ſuam magnopere ſuſpiciam & extollam: Laborauerat illa iam toties procaci Pontificum ſchiſmaticorum ambitione lacerata, quos neque piorum preces, neque

ſceleris

ſceleris pudor, neque conſcientiæ ſtimuli à propoſito reuocarant: alios diuturno carcere maceratos, alios lõgo exilio multatos, horrendis alios de cęlo tactos ſupplicijs vitã prius quàm pertinaciã exuiſſe ingemuerat. Quibus igitur artibus, qua via vſq; adeo exitialis Lerna tolli poterat? Vide numinis ſapientiã. Schiſmatis ceruices exſcindit, cum robuſtius attolli credebantur. Quis enim cũ videret potentiſſimũ Principem, Regijs neceſſitudinibus nixum, opibus præpollentem, ſapientiæ fama Salomoni ęquatum, ſanctitatis opinione celeberrimum, non paucorum factione, ſed generalis Concilij votis Pontificem creatum, quis inquam non crederet extrema omnia prius auſurum, quàm aliquid de ſuo iure cuiquam conceſſurum? Sed aliud Deo viſum erat: Amedeum namque præ cæteris in Baſileenſibus Comitijs eligi voluerat, vt eſſet qui præſenti Eccleſiæ ſtatui, & futuro, raræ, & ſi verum amamus, inauditæ demiſſiones exemplo conſuleret. Neque enim exiſtimandum eſt illis dumtaxat temporibus opportunam fuiſſe tanti Principis virtutem, vt pacem Eccleſiæ redderet, quam quiuis forte alius contumaci duritia reſpuiſſet; verum poſteris etiam vtiliſſimam, vt exemplo eius omnis ætas diſceret, *Solum Regnum eſſe, nolle regnare cum poſſis*. Cuius exempli tantum vim fuiſſe hactenus Chriſtiana Republica comprobauit, vt poſt illa tempora nemo adeo proiectæ fuerit audaciæ, vt in legitimos Pontifices ambitioſus Ae-

mulus

mulus inſurgere tentarit. Niſi forte agnoſcere malimus adeo Numini ſupremo aceptam fuiſſe optimi Principis eximiam erga Eccleſiam charitatem, vt eius meritis dederit, ne vllus deinceps ſponſam ſuam Antipontifex procaretur: ſicque PACIFICVS noſter AMEDEVS orbi Chriſtiano optatam daret pacem, æternamq; impetraret. Sic auguror, & voueo;

Votum ſecundet qui poteſt noſtrum Deus.

FINIS.

Ad maiorem Dei honorem, & S. R. E. gloriam, cuius iudicio Commentarius iſte ſubmiſſus eſto.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google